DE

HERMOLAI BARBARI

VITA ATQVE INGENIO DISSERTATIONEM

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

T. STICKNEY

LUTETIÆ PARISIORUM

SOCIÉTÉ NOUVELLE DE LIBRAIRIE ET D'ÉDITION

17, RUE CUJAS

—

MCMIII

DE HERMOLAI BARBARI

DE HERMOLAI BARBARI VITA ATQVE INGENIO DISSERTATIONEM

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

T. STICKNEY

LUTETIÆ PARISIORUM

SOCIÉTÉ NOUVELLE DE LIBRAIRIE ET D'ÉDITION

17, RUE CUJAS

—

MCMIII


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

SORORI · MINORI

QVÆ · INCHOATVM · ADIVVIT

PERFECTVM · DICATVR · OPVS

DE HERMOLAI BARBARI

VITA ATQVE INGENIO

I

Sunt qui de republica Venetorum, cum prudentiam astutiam splendorem diuitias mirantur artificesque et pictores celebrare solent [1], tamen queruntur quod parum in litteris profuerit neque sæculo illo quinto decimo, quo aliæ Italiæ ciuitates in Græcorum hærerent Romanorumque antiquitate, hæc quicquam fere nisi mercaturam ingloriosa fecerit.

Quod fortasse absolutius est dictum [2]. Fuerunt enim et aliæ ciuitates quæ in congerendis pecunijs maxime ualuerunt, Florentinos dico, neque eo magis a studiorum sublimitate ita uidentur fuisse remoti, quin et eius generis opera quidam nonnulla præ se ferrent. An potius ipsi reipublicæ Venetorum speciei caussa attribuendast? quæ ut in commune optume semper et feliciter consulebat, sic in priuatos suspiciosa atque maledica non raro eo progressa est, ut sæuiens ardorem totum et quasi in altius impetum dirimeret. Neque aliud quid silentio licet præterire. In optumatibus totam eam esse ciuitatem notissimumst : quorum siquis bonas

[1] Voigt : *Die Wiederbelebung des Klassischen Altertums.* Dritte Aufl. I. 412 seq..

[2] Ferdinando Gabotto : *Il trionfo dell' umanesimo nella Venezia del quattrocento,* in *Ateneo Veneto.* Settembre-Ottobre 1890.

artes paullo ultra prosequeretur, hoc in secundo loco solum et quasi ludens agebat, tempus uiresque in republica administranda et necessitate et sponte sua laboriosus collocabat[3]. Iure igitur magna diceres fuisse impedimenta Venetijs ne quis in litteris studijsque facultates et in philosophia mentem exerceret. Tamen et alias ijs quibus ueritatis fuit desiderium, non ita pariter cursus semper felix et planum iter. Spe fortes sufficit ueritatis proferre nomen, et ludibrijs fortunæ deorumque odio atque hominum boni opponere conscientiam. Nulla obstacula nullæ difficultates propositum non solum non mutare sed ne infirmare quidem ualuerunt.

Et quidem nonnulla et Venetijs pro litteris facta sunt. Sæculo ineunte cum *Flavio Biondo* Forliensis in quodam opere[4] urbem laudibus prosecutus erat, ipsa respublica fautorem ita habuit carum ut Paduæ et Brixijs in scriptoris locum nominatus postea a curia ciuitate donatus sit. Nec defuerunt publicæ scholæ. De uniuersitate Paduensi non hic disserendi locus est, quippe cui paullo remotæ principes ex loco iampridem expulsi[5] initium omne et fundamentum iecissent. In urbe, dico, ciuibus iam anno 1449 constat philosophiæ geometriæ medicinæ theologiæ instituta quosdam publica mercede exposuisse[6], et, quo magis omnibus aditum pateret, nullis creatis rectoribus in republica omnis erat administratio. Ibi quidem uices mutarunt *Giammario Filelfo*, *Giorgio Merula*, *Giorgio Valla*, quorum non nomina solum eo tempore per totam Italiam notissima, sed in-

[3] Vide quæ *Benintendi* apud Petrarcham dicit *Epist. rer. sen.* III 1.

[4] *A declinatione imperij*, uide Foscarini : *Della Letteratura Veneziana*, Venezia, 1854, p. 247.

[5] Voigt, *op. cit.* I p. 430.

[6] Romanin, *Storia Documentata di Venezia*, IV p. 499 seq..

genia et rixæ sapientibus terrorem inijciebant. Accedit quod Veneta urbs in impressorum arte fauenda laudes iam tum merebat[7]: officinis pecuniæ suppeditatæ, priuilegia artificibus decreta: non enim improuiso et extra ordinem sed multis præeuntibus multisque gradatim succedentibus illi exstiterunt magni *Aldo* et *Gioliti*, a quibus Venetiarum nomen in terras omnis diffusumst et ad gentes perlatum ubicumque dispersas.

Sed neque scholæ et impressores (ut notumst) scientiam per se creare ualent indigenam, ita aduenticios fuisse patet omnes quorum nomina supra protulimus. Inter Venetos siquis porro ciuis scientia litterisque inlustris recognoscat, primum fuisse quosdam comperiet qui e Græcis assidue uentitantibus quos in supellectili tulissent codices auidi sæpe et acuti emerent. Talis *Marco Lippomano*, *Leonardo Giustiniani*, *Francesco Barbaro*[8]. Tum uero hi ipsi eorumque filij *Bernardo Giustiniani*, *Zaccheria Barbaro*, sicut et *Bernardo Bembo*, cum litteratis uersati etiam inter litteratos adnumerabantur. *Giustiniani* et patris et filij[9] præclaræ exstant conciones in funeribus eorum dictæ qui de patria foris domique bene meruerant; nec minus epistolæ gratæ, ex quibus utrumque facile in latina lingua colligeres de quaque re cum æqualibus quid sentiret disputare. De *Zaccheria* et *Bernardo* laudes Florentinorum in scriptis amicorum hic illic deprehendere licet. In antiquitate homines uersati multum; legati pro republica urbes perlustrantes doctos frequentabant,

[7] Molmenti, *La Vie Privée à Venise* II 24. Castellani, *La Stampa in Venezia.*

[8] Foscarini, *op. cit.* p. 81, n. 1.

[9] *Bernardi Iustiniani Orationes et Epistolæ.* Venetijs (circa 1490), adijciuntur Leonardi nonnulla.

scientiam sibi augebant. In hoc ipso tamen genere *Francesco* facile princeps et sua quidem ætate cuilibet æquus. Multæ et pæne innumerabiles eius epistolæ ad quemque fere notatione dignum cum iampridem a *Quirini* studio maximo omnes (ut uidebatur) conlectæ sunt atque editæ [10], postea alijs repetentibus aliæ comperiuntur [11], neque hodie adhuc moles tota ex omni parte est congesta. Contra difficili in materia breuiter unicum iuuenis conscripsit librum, cui *De Re Uxoria* titulum indidit: ita ut de auctore mirari licet in ludis uberrimo, in litteris parco.

Iure igitur fatendum erat illos Venetis obiecisse quod pauca admodum humanitati (ut dicitur) Italicæ profuissent, nisi eius nepos, Zaccheriæ filius, *Ermolao* altera sæculi parte etiam Venetum monstrasset in studijs ac doctrina fieri posse inlustrem. Notus olim homo. Honores ut patricius gessit multos: tris legatione ex amplissima Venetorum republica functus summos principes adijt ; domi in magistratus secundum ætatem suam selectus est. Ab his autem studiosus ita occupabatur, ut Dioscoridem et (quod maius est) Aristotelem lingua latina donaret, postea *Plinianis Castigationibus* primis secundis stuporem etiam ijs inijceret, qui toti in huiusmodi rebus uersarentur. Itaque Ficinis Politianis Picis adnumeratus *Ermolao* Venetorum qui ad id tempus usque in linguis antiquis ualuerint facile princeps iudicatus est [12]. De quo hic nobis in propositost nonnulla disserere, ne homo sua quidem ætate claris-

[10] *Francisci Barbari et aliorum ad ipsum epistolæ.* Brixiaæ 1743.

[11] Sabbadini : *Centotrenta lettere inedite* di F. B. Salerno 1884.

[12] Petri Bembi *Historia Veneta* lib. pr. Posteriore Sæculo nomen peruagatum : Budæus *de Asse*. Rabelais *Pantagruel* III 35.

simus nunc etiam, cum tanti laudibus adficiuntur, egeat ille suis.

II

Non primi nos hominem adgredimur. Nam ut semper curiosi quidam in omni materia exstiterunt nec raro fit ut qui rei paullo obscuriori lætus incidisse sibi uideatur eandemque tractare cœperit, mox ab alijs comperiat iam diu peractam esse, sic de Veneto nostro siquis de uita moribusque et scriptis quæ sint cognita tenere uelit, quamquam late dispersa et parum fida uitiisque multis latent commixta, tandem consequetur. Nec defuerunt qui suscepto labore et feliciter ad finem peracto opus in lucem ediderint [13].

Quorum e numero [14] ut statim honoris causa et unum instar omnium principem nominemus, *Apostolo Zeno* in libro cui *Dissertazioni Vossiane* [15] nomen imposuit de Hermolao luculente disseruit.

[13] Agostini : *Ist. degli scrittori veneziani,* Venezia 1702 I Præf. ; II p. 122, 129, 201 ssq.
Fr. Domino Antonius Gandolpho Genuensis : *Dissertatio Historica de CC celeberrimis Augustïanis Scriptoribus* etc. Romæ 1704, p. 173.
Paullus Iouius : *Elogia,* Basileæ 1571. II p. 83.
Tiara et Purpura Veneta 1379-1759, Brixiæ 1761, p. 78.
Ioannes Trithemius : *De scriptoribus ecclesiasticis* Basileæ 1494 (u. Fabricij *Bibl. Ecc.*)
Andreas Victorellus uide sq.
Ciacconus : *Vitæ et Res Gestæ Pontificum Romanorum* Romæ 1630, p. 1312 ssq.
P. Iacobus Philippus Bergomas : *Supplementum Chronicarum ab ipso mundi exordio,* p. 325.
Gulielmus Cave : *Script. Eccl. Hist. Litter.* Oxonij 1743 II, nº 1480.
Nicéron : *Mémoires des Hommes Illustres.* Paris 1731, XIV, p. 1 ssq.
Teissier : *Éloges des Hommes Sçavans.* Leyde 1715, p. 328.
Varillas : *Anecdotes de Florence* ou l'histoire secrète de la maison de Medicis, La Haye 1685, p. 174.
Romanin : *Storia documentata di Venezia* IV Libro undecimo.

[14] Ex his omnibus solus Trithemius rei adiumentum affert.

[15] Venezia 1752. De H. B. Tom. II p. 348-403 agitur : quem locum abhinc solis litteris Zeno DV indicabimus.

Cuius tamen tractatio cum non sit continua, sed partita et sub specie (ut in titulost) « *giunte e osservazioni al Vossio* »[16], confusa iacent omnia, latina cum italicis, errores cum emendationibus, bona cum malis: quod ferendum esset, nisi et *Zeno* (quod in tanto uiro notare ingratumst) ut homo scilicet non raro esset prolapsus. Sæculus noster nouarum studiosus ueritatum et ceteris et Hermolao profuit[17]. Quare Zenonis non obliti ultro progrediemur.

Aliast nobis caussa quare rem utilem agere credamus. Inest in illa ipsa disputatione quod iam pridem admirationem mouerit uirorum doctorum, ea scilicet uerba quibus *Zeno* Barbari epistolarum codices sibi duo in manibus uersari significat: quos eo tempore abhinc nemini uidere contigit[18]. Tunc Venetijs, ut dicit ille, apud familiam *Nani* in quam Barbara stirps paullo ante defluxerat, conseruabantur: posteriore sæculo Nanianis omnibus uenditis dispersisque codicum ne uestigia quidem Venetijs uel alias sese quaerentibus offerebant.

Credebamus rem peractam, cum forte sciscitantibus nobis Bibliothecæ antistes Luccensis codicem Barbari diu absconsum illis ipsis repperisse diebus diceret. Quem Florentiam Italiana missum urbanitate inspeximus utque describeretur curauimus. Quaeritur utrum Nanianorum sit alter necne. *Zeno* quidem altero usus est solo quem littera A signatum ex quinque constitisse libris apparet, tum epistolarum Hermolai quinque omnino ineditos dicit exsistere libros : quare alterum

16 De libro agitur cui G. I. Vossij *De Historicis Latinis Libri III* titulumst. Lugd. Bat. 1627.

17 Quod praecipue de Malipieri Annalibus dicitur, quos in *Archivio Storico Italiano* vol VII impressi sunt. Mero nomine *Malipieri* utemur.

18 Ne Foscarini quidem codices uidit : u. *Letter Venez.* p. 252, n. 1 : *della Letter. della Nobiltà Venez.* p. 605 (Venezia 1854).

codicem (de quo ne uerbum quidem facit) alia uel nulla littera signatum, tamen cetera priori simillimum fuisse concludere licet. Qui nostri locus est; et quidem res eo probabilior fit, quod *Zeno* præstantiori codice usus esse putandus est, in nostro autem miri errores insunt et uerba Græca plerumque omissa, sæpe ita exscripta ut scribam linguæ pæne imperitum fuisse dicas. Sed de hoc satis. Quinque illos deperditos tenes Hermolai epistolarum libros. In quibus pleraque (ut fieri solet) meræ nugæ, nonnulla autem de auctore ipso, de hominibus illustribus, de rebus Venetis Italicisque. Hæc sola studiorum interesse nobis uisa sunt et in lucem pro uirili parte edenda. Præterea epistolas non uero illas solum quæ in codice feruntur sed etiam ceteras ubicumque dispersas in quendam redigere ordinem numeroque saltem notare curauimus: quas omnis si post dissertationem nostram legeris, hominem possidebis ut speramus totum.

III

Gens inlustris. Iam in medij æui nocte atque caligine, ut apud Venetos non raro fit, nomen est peruagatum, postea honoribus adfecta amplissimis gens usque ad XVIII sæculum uiguit. Nobis quidem notissimus et nemini opinor ignotus *Marcantonio* [19] exstitit : qui in Galliam apud Catherinam Medicem et ad Sultanum Constantinopoli legatus, deinde *S. Marci Procurator Salisque Proueditor*, tum Pauli Veronensis, Alexandri Vitoriæ, Andreæ Palladij fautor atque amicus, Vniuersitatisque Paduæ *Reformator* quasi perfectum est habendus atque expressum Patricij Veneti specimen. Tamen

[19] Charles Yriarte : *La Vie d'un Patricien de Venise au XVIe siècle : Marcantonio Barbaro 1518-1595.*

inlustriores antiqui. De Zaccheria iam supra incidit mentio. Porro Franciscus non minus militiæ splendore enituit quam litterarum, omnibusque ex ijs notus est quæ Brixiæ defensor [20] in maximo rerum discrimine pro patria egerit. Quid denique Marcum antiquum et pæne heroem ac patremfamiliæ commemoremus ? Venetijs enim in Ædium Ducalium muris pulchra illius res gesta pictura quam uidimus omnes celebratur [21], item in uetere historia Venetorum nullius nomen certius clariusue perhibetur.

Hermolaus noster anno MCCCCLIII natus est [22] Zaccheriæ (ut diximus) filius [23], Francisci magni nepos [24]. Mater Andreæ Vendramini Ducis [25] filia [26]. Fuit et alius Hermolaus alij Zaccheriæ filius [27] quem caue ne cum nostro ut uulgo fit confundas. Hic enim cum *Protonarius* esset *Apostolicus*, tum Triuigianus postea Veronensis Episcopus, conciones sacras aliaque eius generis conscribebat : quod a nostro satis alienum, nec sine magna commutatione alter alterius doctrinam sibi consciceret. En tibi stemma ex quo et aliorum eiusdem familiæ consanguinitatem facile inspicias :

20 Yriarte *op. cit.* pp. 3, 7. Voigt, *op. cit.* I. p. 429.

21 Bædecker, *Italie Septentrionale*, p. 217.

22 Archivio di Stato, *Balla d'Oro* ad diem 26 Sept. 1471. Zaccherias filium adducens qui Magno Consilio adnumeretur secundum legem et consuetudinem iurauit « *esse etatis annorum XVIII complectorum* ». Tamen Hermolaus in epistola (n. 58) Cal. Iun. 1485 data hunc annum sibi alterum et trigesimum esse dicit et Themistium (impr. anno 1480) se anno æt. XXVI edidisse. Res desperata. Zeno alijque Zaccheriæ iusiurandum nescientes Hermolaum 1454 natum esse statuunt. — De die non constat, sed uide quæ de morte dicamus.


23 Ep. 58 etc.

24 Ep. 62 etc.

25 Malipiero p. 666-7.

26 Malipiero *l. c.* Zaccheriam Andreæ generum dicit. Vide Epp. 61, 62, 79.

27 De quo Voigt *op. cit., locc. citt.,* agît. Ep. 62.



Iam bona puerum indole prædítum Zaccherias pater Veronam misit ut studijs Matteo Bosso canonico curante obsequeretur. Quod ne quis miretur, ex magistro ipso uerba quædam hic describemus : « Deuerterant enim estate, cum cepi eos nosse, pater et paruulus laxandi animi causa Veronam, ducentes apud hospitalem Episcopum — Hermolaum dicit — multo cum plausu liberalique lætitia uitam. Ascendebant et simul interdum ad amœna et beati montis nostri admiranda spectacula : ubi primus eram qui eis occurerem eosque deducerem. Qui et mulcebantur interdum auium cantu grata sub cuiuspiam frondosæ arboris umbra. Ibi puer carmina tum prosam iussus erat canere et recitare : quod puerili uocula et artificiosa hypocrisi uerecunde cum faceret, omnes quidem cum risu et admiratione tenebat. Sed ne uexaretur improbe nimis atque durius tam mollis et tenera ætas, illum ego ad cursum et saltum suis cum pueris et æqualibus summouebam a patris latere et

Episcopi sinu »[28]. Illinc cum notas edidicisset octauum agens annum Romam delatus, ut Pomponium Letum audiret nouellæ academiæ nouum principem, qui nimio antiquitatis ardore et cupidine perculsus non litteras solum sed etiam respublicas moresque Romanorum et Græcorum redintegrare conaretur[29]. Furiosum ibi et Hermolaum sed solo philologiæ amore factum esse ipsius natura satis declarat, tamen Pomponium per decem annos, ut fertur[30], audiuisse uix credibile est. Ad uiros doctos qui tum Romæ commorarentur sine dubio frequenter confugit : Rauennam[31] Neapolim[32] uisit : Theodorum Gazam adijt. Qui Venetum nostrum Romæ aut Neapoli[33] admiratus de eo sententiam dixisse fertur: sicut iuuenem æquales superasset, ita senem senes superaturum[34]. Octauodecimo anno nec inuentute turbatus nec locis amœnissimis allectus *De Cælibatu* libros duo pueriliter (ut ipse dicit)[35] conscripsit. Quos deperditos esse eo minus dolendum est, quo materiam sæpe pedestri in epistolis sermone[36] et uersibus[37] tractauit inque eadem semper hæsit opinione, studiosum qui uxorem ducat hominem curis motibus perturbationibus se

28 Matteo Bosso, *Familiares et Secundæ M. B. Epistolæ,* Mantuæ 1498. Ep. 34 *ad inclitum Io. Picum Mirandulam.*

29 Voigt. *op. cit.* II, p. 237.

30 Zeno *DV.* ex Mancinelli in « Metello Badio » (i. e. Hermolao Barbaro) oratione. Fortasse Romæ laureatus fuit. Vide Lancetti *Memorie intorno ai poeti laureati.* Milano 1839, p. 168.

31 Zeno *DV.* ex. Baptista Guarini carmine.

32 Ep. 54, 74.

33 Vbi tum Gaza commoratus sit dubitatur. Vide Voigt, *op. cit.* II, p. 146.

34 Andreas Brentius Patauinus, *Hippocrates de Insomnijs.* Ep. dedic. ad Zaccheriam Barbarum.

35 Ep. 58.

36 Ep. 62.

37 *De re uxoria* carmen sexcentos uersus complexum.

uouere totum. Neque eo stetit: in re lubrica tibi uersari uideris, qui Petri Delphini ad cardinalem Senensem tum ad Vgolinum Verinum epistolas[38], et Trithemi[39] quædam de Hermolai castitate famosa recognoscas, item ipsius uerba quibus cupidinum depellendarum modos duo describit[40] non sine hilaritate perleges.

Eodem fere anno quo cœlibatum celebraret, alij generis opus aggressus est, Themistium qui uerteretur. Opus Neapoli inchoatum[41] Patauij studens undeuicesimo anno perfectum[42] postea MCCCCLXXX Sixto Pontifici dicatum Venetijs edidit. Laudibus in cælum ab æqualibus elatum[43], contra et auctori[44] et posterioribus nimis iuueniliter (nedum absurde) factum esse uisumst et bibliothecarum in tenebris quod deperditum iaceat dignum.

IV

Educatione perfecta publice Patauij per quinque annos Aristotelem explicuit, biennio omnes morales perlegens libros : tum uigesimum tertium (ut uidetur) agens annum Doctor factus, postea Venetiam, quam interdum frequenter adijsse putandus est, MCCCCLXXIX reuertit. Neque studia intermisit. Iam Patauij Ethicis Aristotelis compendium conscripserat, nunc eiusdem Rhetoricen Dialecticenque et Dioscoridem uertere cœpit, in Galeno Alexandroque[44] uersatus est : quamquam eo

38 Petrus Delphinus *Epistolarum lib. XII,* Venetijs 1524, lib. III, ep. LXX, ep. LXXI.

39 *L. c.*

40 Ep. 112.

41 Epist. 54, 74.

42 Ep. 58.

43 Ep. 1 ssq, ... Vide Politiani et Pici epistolas.

44 Ep. 17, 56.

ipso tempore magistratus duo, Copiarij scilicet et Senatoris [45], gerebat. Mense Iunio MCCCCLXXXIIII pestilentiæ suspicione commotus, quippe qui gracili esset corpore, officijs desertis Patauium secessit. Bonos ibi quosdam iuuenes a se impetrauisse scribit ut Græcos eis poetas prælegat ; ipse cum Aristotelicis suis et Dioscoride cumque Demosthene Hermogene Arato Apollonio Theocrito annum totum delicate consumpsit [46]. Tamen dolore se quod rempublicam derelinquat

[45] Ep. 23, 24, 32. Copiarium *Avvogadore* siue *Avocat du Fisc* esse credo ; magistratum quem in Ep. 53 *copiarum præfectura* dicit iure dubites an idem esset.

[46] Ep. 23, 31.

Hanc quamquam notam exscribendam esse putamus :

Hermolaus barbarus Pontico sal

Cupio intelligas qualis nostra sit siue peregrinatio siue commigratio. Octaua hora surgitur. Dum corpus recuro, dum distringo me, abit hora. Tum nona templum adeo: sacris intersum. Decima sum in litteris ; rogas quibus : Aristotelicis. Vndecima cum Demosthene uel Hermogene. Duodecima cum pœtis : nunc Arato : nunc Apollonio. XIII prandio dicatur. Mensa simplex et frugi : ouum molle, ficus, pepo, gallinaceus ex iure, amigdala recens, panis candidissimus, uinum heluolum sed dilutum, et salices patauinas: quod sane non me lædit egregie referens. Hic mane cibus. Quartadecima quiesco : non ut dormiam, sed ut uacem a studijs, quanquam, etiamsi non sum in opera, non tamen in ocio sum, hoc est etiam si nihil gero, non tamen nihil ago. V VI VII VIII[a] decima nihil ipse lego uel scribo ; sed anagnostes arcessitur et librarius, atque uicibus modo sedens modo inambulans uel dicto uel ausculto, non quidem continenter et sine interspiratione : alias fatisceremus tempore tam infesto ; sed morulis interpositis pro calorum modo et utique per iocum. XIIII conuentores adsunt. Ab ijs amici ad usque cœnæ tempus : cum quibus ego nihil fere preterquam de litteris : nunquam de re quoiusquam priuata nunquam de publica. Noster sermo uarius : quæ quisque uel pridem uel modo legerit audierit dubitauerit. Nullus in disputando delectus ; nullum discrimen ; nulla lex ; nihil ad præscriptum, nihil ambitiose dicitur. Simplicitas porro tanta ut plerunque plus delectent uel friuola. Nihil est hoc conuictu beatius. Propter quæ post prandium domi me contineo, alioquin et ualitudinis quoque causa, caloribus tam immodicis. In summa hoc genus uitæ (pace dicam audientium) magistratibus et honoribus quibuscunque præfero. Proinde licet inuidiosum tibi sit : et collegarum offensionem subierim et successorem mihi dare parata sit resp, nihil moror. Nam et Resp. sine [?] ipsa sibi sufficit omnibus modis : et ego non quidem stare sine Rep. possum nec uelim posse. Sed una tamen ratio sola superest qua stare posse uideor sine illa, dum coetus is, quem dixi litteratissimus, lares meos

esse affectum declarat [47]. Ad quam cum redisset, Italia bellis contentionibus rixis tota flagrante miro modo adiuuit: uaticinationes amici cuiusdam in curia prædicat [48]; Georgium Vallam commendat qui Venetias profitendi causa publica mercede conducatur [49]; postremo philosophiæ scholas (quod maius erat) ciuibus priuatas domi [50] aperuit. Summa cum expectatione undique concurritur. Hermolaus ex antiquis illis unus esse sibi uisus, Aristotelem quæcumque conscripsit omnibus accessitis expositoribus Græcis Latinis Arabibus Iamblico Porphyrio Alexandro Themistio Simplicio Philopono Auerroi, in magna hominum frequentia explicat uel potius explicare cœpit; immo Aristotelem Latinum facere totum adnotationesque ex omnibus selectas adicere, ita perfectum in lucem edere opus meditat: quod cum absoluerit, et Mathematicos libros interpretari in animost, necnon a Græcis Christianis

frequentet. Fruar igitur : atque fruar honestissimis uoluptatibus, non dico inuita Rep, sed ferente conniuenteque. Quid si dicerem inuitissima : nunquid ueniæ uel gratiæ locus non esset ? Et hercule non puto, si uidere possent consuetudo nobis hæc quam sit plena doctrinæ, plena ioci, plena salium, postremo quam plena candoris hilaritatis utilitatis. Dimissis ijs hora coenæ superuenit. Cena prandio similis ; hoc est facilis et coctibilis. Initio mensæ ouum. Deinde olus aliquid ex aceto oleo sale defruto. Tum uipio tostus, mox melones uel pomenta. Absolutis his intra horam fere tertiam et uigesimam aut in hortum descendo aut ad uicinum mihi confluentem. Vtroque loco positas contemplamur herbas : et Dioscoridem cogitamus, qui procul dubio nobis aliquando emittendus est. In hoc absumo sesquihoram. Deinde cubitum me refero, ita ut ad primas faces omnibus pensis solutus et securissimus dormiam post VII horas. VIII quemadmodum diximus expergiscor. Hæc est tota uitæ meæ rusticæ dispensatio. Valitudine utor satis prospera. Minus infestor capitis doloribus. Vale Furnium salutabis meo nomine, sed ita ne salutatio nostra uulgaris et promiscua esse uideatur. Patauij VIII Id. Quint. MCCCCLXXXIIII.

[47] Ep. 32.

[48] Ep. 38.

[49] Ep. 48.

[50] Ep. 49.

se omnino manus abstenturum esse homo generosus promittit. Dicas somnia. Facta quidem sunt pauca, in auditorio de solis *Analyticis Prioribus* constat [51]. Tamen *Ethicis Epitome* et *Rhetorice* iam tum Latina lingua donatæ ; totum *Organum* et de *Auscultatione Physica* libros octo paucis post annis conuersa adnotationesque in *Analyticos Priores* absolutas esse in epistola [52] dicit. Post mortem opera illa duo et *Compendium* quoddam *scientiæ naturalis ex Aristotele* nepos edere curauit [53].

V

Eo ipso autem tempore Veneti non solum discipuli magistrum sed etiam ciues ciuem adibant. Nam cum inter ciuitates Italicas post uarium bellum pax mense Augusto 1484 erat conclusa, principes undique Februario 1485 Venetias conuenerunt, ut ludis spectaculisque et cœnis apparitissimis concordiam mox euanituram celebrarent : Hermolaus copiarum, immo culinarum (ut dicit) [54] præfectus hospitibus et festis prouidebat, impendia dispensabat, tamen spectacula fugens per urbem modo lintre modo pedibus Aristoteli fidus uagabatur. Quod ei pessime euenit : duo mensibus post e cymba domi in gradus prosiliens infelix corruit grauiterque contusus recidit in aquam. A patre et fratre quasi piscantibus extrahitur, in lectum portatur [55]. Hæc

[51] Ep. 59.

[52] Ep. 98, 104. Adnotationes extant manuscriptæ : Bologna Vniuersitaria cod 124 (Aldovrandi 44) f. 218-284.

[53] *Ep. Eth.* Venezia 1544 ; Lione 1548. *Rhet.* Venetijs 1544 ; Lione (Griphius) 1544, 1545, et alias. *Comp. Sc. Nat.* Venezia 1545, al.

[54] Ep. 53, de magistratu agitur cui *Préposé au compte rendu des desniers publics* nomen est, siue *Officiali alle razon vecchie e nove.* Armand Baschet, p. 667.

[55] Ep. 59.

uulnerum enumeratio ab ipso ægro uel potius medico confecta: « utramque tibiam utrumque crus alteram coxendicem cubitum dextrum et auricularem digitum omnia sugillata ». Mox conualescens cum patre Zaccheria legato mense Augusto Mediolanum adijt [56]. Sed studia ferijs infensa: quæ domi reuersus per hiemem frequenti auditorio prosecutus est [57].

Nouus annus nouum honorem adtulit. Respublica ad Maximilianum Federici III filium legatos extraordinarios mittere constituit, qui iuueni *Rex Romanorum* titulum nuper delatum gratularentur. Electi sunt Dominicus Treuisanus et Hermolaus Barbarus [58]: qui profecti cum Patauij in itinere legatis imperatoris incidissent, statim eloquentiæ Germanis spécimen Italicæ dederunt [59], tum in septentrionem uersi per Tridentum Alpibus transcensis imperatorem ipsum mense Quintili 1486 Brugis aggressi sunt [60] Orator Hermolaus prodijt. Iam pridem anno 1474 exeunte in funere Nicholai Marcelli Venetiarum principis [61], iterum in aduentu Renati ducis III Id. Ap. 1483 [62] orationem habuit. Quæ tunc in tempus conscripserat, breuiora dixit, tamen ne laboriosa eloquentia in uanum abiret, omnia excutienda opusque Carondoleto supremo Regis Romani *Secretario* dicandum curauit [63]. Itaque re peracta legati

56 Malipiero, p. 299; Ep. 71, 72.

57 Ep. 59 fin.

58 Malipiero, p. 301,

59 Callimachus: *De his quæ a Venetis tentata sunt.*

60 Ep. 64, 82.

61 Malipiero, p. 664. Oratio in *Orationes Clarorum Virorum* Venetijs 1558 legitur.

62 Manuscripta extat British Museum *Add. MS.* 10411.

63 *Oratio H. B. Zachariæ filij legati Veneti ad Federicum imperatorem et Maximilianum regem Romanorum principes inuictissimos.* In fine epistola ad Carondoletum Brugis prid. Non. Augusti 1486 data legitur, quæ et apud Politianum postea excussa est.

equestri decore amplificati [64] in patriam reuerterunt.

Sed ne tum quidem studijs longa quies subuenit. Imbecilli nimijs laboribus infirmata ualetudine diu ægrotauit [65], mox a republica breui spatio honoribus adfectus duobus, legatione scilicet Mediolanensi et præfectura cui *Savio di Terra Firma* nomen [66], legationem prætulit, anno 1488 [67] Mediolanum adijt. Ibi negotia fere nulla, tempus uacuum: dicas in Academia quadam eruditum hominem potius quam legatum in aula amplissimum commorari; ut ipse Dioscoridis et Aristotelis manes istud sibi munus impetrauisse dicit. Georgio Merulæ, cui olim Venetijs commoranti Themistij librum dicauit, suis in ædibus locum fecit [68], cum Jacobo Antiquario, Aurelio Pontico, cum Calco [69], Didymo [70], Eusebio Scutario [71] alijs familiariter uixit; necnon ipse Ludouicus dux ut notumst litteras atque litteratos miro semper prosecutus est amore [72]. Hermolaus Musarum ex iuuentute cultor facetias philologicas in numerum otiosus redigebat [73]. Astrologiæ ea ratione fauebat, ut

64 Ep. 68, 69.

65 Ep. 71, 72, 76, 99.

66 Ep. 72. Sic enim uerba : *ad continentem et bella præfectura,* uertenda sunt.

67 Inter Cal. Febr. et Id. Apr.; uide Ep. 74, 75, Venetijs Mediolani datas.

68 Ep. 77.

69 Ep. 90, 92, 111. In Ambrosiana (D 119 sup.) codicem Dionysij Halicarnassei inuenies, qui Merulæ et Calchi nomina præstat.

70 Hermolai anagnostes.

71 Vide Plauti Comœdiæ Venetijs 1495 Epist. Dedic.

72 Ep. 72, 77, 111.

73 Trithemius uersuum XII milia Hermolaum conscripsisse dicit. Ipse de uersibus Ep. 58, 43, 117 uerbum facit. Excussa leguntur quædam in
Argelati *Bibl. Script. Mediol.*, Mediolani 1743, p. 355 (Bernardus Bellincionus).

cum religione atque fide christiana utrum congrueret necne dubitaret [74], tamen genituras siue horoscopos non incredule sibi amicisque conficeret [75]. Denique in studijs prosequendis diligens non solum consilio illi ut Aristotelem totum Latinum faceret adhæsit, sed etiam Dioscoridis iampridem in manibus uersati ut accuratius opus uerteret, codicem quendam ex Laurentio Medice et Florentinis in usum recepit [76]. Neque eo contentus aliud opus (quod et ultimum futurum erat) pedetemptim et gradatim agressus est, *Plinianas* scilicet *Castigationes*, quibus auctorem in tota omino antiquitate uersatum, tum corruptissimum et pessime deprauatum immenso labore in pristinam reuocare formam et (quod multo maius erat) perspicuum nitidumque suis reddere æqualibus studeret [77]. Insultat Sabellico qui de octo aut nouem erratis uerbum faciat : se ipsum iam tunc duo milia et amplius correxisse [78]. Interdum itinera hic illic faciebat [79], principes Mediolanum uisentes et quidem

Rodolphi Agricolæ *Lucubrationes*. Coloniæ 1529 (= Paul. Iouii Elogia).
Tiara et Purpura Veneta.
Manuscripta inueniuntur : Ambrosiana cod D 112, f. 50, à Petro Candido.
Perugia (Mazzatinti) n. 178.
(?) Marciana Lat. Cl. XII cod 210 (107.5) ad Paulum Martium.
id. id. cod 221 (107.5) ad Ludouicum Sfortiam, p. 256.
V. Cicogna *Saggio di Bibl. Venez.*, nº 1981, p. 280.

74 Ep. 78.

75 Ep. 88, 99 (fin).

76 Ep. 109, 110, uide Polit. *Epist. lib.* I. H. Barbaro.

77 Ep, 102, 113 : quare cum in ipsis *Castigationibus* (Ep. dedic.) opus se Romæ legatus incohasse significat et (ep. in fin.) uiginti mensibus omne fundamentum posuisse et caput, Hermolaus rem intuens peractam initium nimis humane dedidicisse credendus est.

78 Ep. 102, uide adn.

79 Ep. 89, 90, 91.

Petrum Medicem[80] ut legatus adibat, dignitate cum otio fruebatur.

VI

Videtur Mediolani annum fere mansisse[81] : *Dioscoride* perfecto[82] in patriam reuertit, ubi breuis ut semper patricio quies. Anno 1490 uere ineunte Romam legatus ex Serenissima Re Publica ad Innocentium VIII missus est, proficiscensque patriam ignarus ultimum aspexit. Iter tamen lætum. Florentiam deuersurum esse inlustrem Venetum cum Laurentius Magnificus certior factus esset, quia ipse saluti suæ consulens ad aquas non posset non abire, filio Petro præcepit ut legatum litteratum quo maximo potuisset splendore in urbem claram reciperet[83]. Quæ omnia in eum modum facta sunt ut Medicea postulabat et Florentina magnificentia. Ostendit Barbaro princeps quæcumque pater ex omnibus terris collegerat pretiosa, gemmas nummos imagines ; in hortos illos quasi Babylonios uirum conduxit ; denique ad cœnam uocatast omnis Academia Platonica, quæ cum Aristotelis interprete nouissimo consideret[84]. Exstat ipsius Petri ad patrem epistola, quam paullo infra cum de homine Hermolao agetur fere totam si placebit recognosces.

Florentia relicta in itinere iterum deuersus est

80 Ep. 109, u. Reumont, *Lorenzo de' Medici* II, p. 265.

81 Hieronymus Donatus iam mense Februario 1489 successor ad Ludouicum electus est (Ep. 111). Hermolaus Nonis Septembribus ex Venetijs scribit (Ep. 128). Si Epistolæ 139 credas, initio mensis Iulij Hermolaus Mediolano profectus est.

82 Post mortem a nepotibus excussus Venetijs Kal. Feb. 1516.

83 9 Maij Mensis, 1490.

84 Fabroni, *Laurentij Medicis Magnifici Vita*, II, p. 377 ; Reumont, *Lorenzo de' Medici*, II, p. 72. Arnoldo della Torre, *Storia dell' Accademia Platonica di Firenze*, Firenze 1902, p. 812.

Sienam, ubi Laurentium ægrotantem[85] pro parte cum reipublicæ tum sua salutauit. Ei statim Romam legatus ingressus[86] pro beneficijs gratiam re uera potuit referre. Iis ipsis enim diebus cum Marsilius Ficinus Platonicæ Academiæ rector Plotinum lingua latina donauerat, obiurgabant eum inimici æmulique quod magicas artes Christianus uel commendaret uel sustineret[87]. Venetus continuo Papam adijt, crimen refutauit: quo factumst ut rector, qui maximo in periculo uersaretur, contra suspicione hæresis remota laudibus ab ipso adfectus sit pontifice[88].

Quæ tum eodem tempore respublica per legatum gereret Romæ, hic breuiter licet conscribere. De Sultano *Djemm* agebatur, *Bajazet II* fratre[89] : qui ut ambitiosus rerumque nouarum molitor ex terra Turca expulsus in Galliam primum confugit. Iam frater Rex Venetos adierat, ut uirum infelicem in potestatem irretirent ; nunc etiam alij duo expostulabant : scilicet Mathias Coruinus Rex Vngariæ qui contra Turcos Turcum utilem fore sperabat, deinde Papa Innocentius Christianum ut semper contra Infideles moliens bellum duce potiri desiderabat. Quibus omnibus perpensis et Decemuiris caussæ Innocentij apud Carolum Galliæ Regem fauentibus ita *Djemm* Sultanus seu potius seruus Romano Pontifici uenditus est. Cum autem ibi in æde Vaticana continebatur, et Venetorum et Papæ inter-

85 Reumont, *op. cit.* ; Gaye, *Carteggio inedito d'artisti*, etc. Firenze 1839 I, p. 294.

86 Iam Kal. Iun. Hermolaus ex Roma scribit.

87 Della Torre, *op. cit.* pp. 622 sqq.

88 Ep. 135.

89 Cum ex Philippe de Commynes Annalibus notus, tum apud omnes historicos Venetos antiquos modernos, Sanudo Giustinani Bembo, Romanin Sismondi, alios diuagatus.

erat ut captiuus quam arctissime custodiretur, tamen, quia *Bajazet* pretiosum utrisque per annum conferret stipendium, ut uiuus quam longissime seruaretur. Legatus igitur nunc Papam ijs diebus ægrotantem uel ipse uel per Cardinales Venetos adit, nunc Decemuiris rescribit Sultanum quosdam uisere necnon uenena aut gladios uictimam auream abstulisse. Contra ex Venetijs secretæ portantur litteræ, a quibus Hermolaus Constantinopoli quendam a Turco missum Romam proficisci certior fiat [90].

VII

Mox ipse aduersam perpessurus erat fortunam [91]. Dum in negotijs et quidem in lucubrationibus uersabatur, II Mart. 1491 Marcus Barbus, *S. Marci Cardinalis et Aquileiensis Patriarcha* supremum diem obijt. Patriarchatu uacante statim Hermolaus Papam adijt ne quem in locum inconsulto Senatu Veneto seligeret; tum per litteras patricios de re certiores fecit. Iisdem scripsit etiam *Francesco Cibo*, Cardinalis, Papæ Innocentij VIII filius, ut sibi patriarchatus demandaretur. Sed frustra. Munus istud Venetijs proprium Dux rescripsit numquam non in Venetum tradi posse ciuibusque solis uacare [92]. Mox *Signoria* ultra progressa, cum rebus

[90] Lamansky : *Secrets d'État de Venise, documents, extraits, notices et études servant à éclairer les Rapports entre la Seigneurie avec les Grecs, les Slaves et la Porte Ottomane.* St.-Petersbourg 1884, pp. 201-292. — Nota egregij uiri mors in castris Gallicis apud Neapolim.

[91] Rem diulgatam apud omnes Venetiarum historicos Bembum Giustinianum alios inuenies. Nos Malipierum (p. 687) ut coetaneum et Hermolai describentem epistolas unum pro omnibus sequimur. Inter Ficini, Politiani, Petri Delphini, aliorum epistolas multæ huc spectant.

[92] De Venetorum in sedem Romanam firmitudine uide Yriarte, *Un Patr.* etc., p. 320. De Aquileiensi Patriarchatu uide Yriarte, *id.*, p. 341 ; Girolamo Conte de Renaldis *Memorie Storiche dei tre ultimi Secoli del Patriarchato d'Aquileia* (1411-1751) Udine 1888, p. 163-8.

suis Pontificem immisceri ut semper ægre tulit, tempus occupans die VI Mart. Nicholaum Donatum episcopum ex suis solemniter patriarcham Aquileiensem designauit. Interdum nec Papa requieuerat. Hermolaum ad se uocat, sex adsunt cardinales. Quorum unum despolians, quod ne *rochetam* quidem in promptu habet, primum sancta obœdientia et quidem excommunicatione legatum deterret, deinde ipsis uestiens manibus suis sacris ita inuitissimum sponte dicat patriarcham pro parte sua [93]. Hæc omnia *Signoria* Donato iamiamque nominato ex alia Hermolai epistola recognouit : præterea uirum infelicem in re desperata successorem sibi in legatione expostulare subitoque ad patrum pedes omnia explicaturum se iacere uelle. Successor sane factus est Hieronymus Donatus : sed decemuiri ultro sæuientes(diuulgabatur enim Hermolaum iam tum cum Romam proficisceretur sacerdotem se facturum esse necnon et Zaccheriam multis Papam delicatis splendidisque donauisse) non solum secundum legem *Ne quis Romae legatus inconsulto Senato munus accipiat* damnarunt, sed etiam patriarchatu renuntiato iusserunt ut in patriam rediret palamque defensionem reus susciperet : quod nisi fecisset, et patrem *S. Marci procuratorem* bonis proscriptis magistratu spoliatum iri [94]. Hermolaus munus renuntiauit [95], Venetias non reuertit : qua causa, ut uidetur, exilio multatus est. Quod ad patriarchatum spectat, Innocentius Nicholao ægre ferens *bullas* negauit, Alexander VI *ducatorum* X milibus mutauit [96].

[93] Ep. 116, 121.

[94] Petri Bembi *Hist. Ven.* l. c.

[95] *Epistola ad Senatum* 14 Apr. 1491 data (Malipiero).

[96] Innocentius Iul. 25 1492 mortuus est, Alexander Aug. 10' Pontificatum inijt. Cicogna *Iscrizioni Veneziane* II, p. 147 : *Jacopo*



Hac in re ut de Hermolai patrisque fide non dubitandumst, sic honores nostrum ecclesiasticos ut dicebatur certumst spectauisse. Res in apertost. Cum enim is et ciuitate et dignitate priuatus esset, Laurentius Medices ille, qui tum apud Papam multum ualuit, intercedens rogauit ut cardinalem eum designaret:[97] quod sine dubio Hermolao gratum fecit; pater uero Zaccharias ita sensit, ut Politiano Venetijs dimoranti uasa Græca quæ principi ferret magnifico in manus traderet[98]. Subita mors omnia dirimit: Innocentium, Laurentium[99], Zaccheriam[100] unus abstulit annus. Hunc, quod notatione dignumst, *Signoria* quamquam commutatis uel neglectis pœnis illis funere ornauit publico splendidissimisque exsequijs, oratorem non incallide M. A. Sabellicum nominauit, qui filio Pliniana rixa infensior factus erat.

VIII

Interdum neque tanta tempestas et uitæ discrimen neque pater mortuus ciuitasque inimica Hermolai studijs damnum adtulerunt. Admirationem mouit æqualium quanta fuerit in homine constantia, quanta rebus aduersis læta et serena pietas. Omnia in Plinio exarando composuit. Erratorum, quæ iam Mediolani compererat duo milia, alijs milibus totam perlustrans antiquitatem incredibili industria exaggerauit, obscura illuminauit, dubia determinauit, uitia correxit. Opus diu ab omnibus

Valaresso .... durante le differenze tra Ermolao Barbaro e la patria sua, ammaestrò la chiesa di Aquileia. De quo forsitan in Burchardi *Diario* agitur ad diem (Ed. Leroux, I, p. 449).

97 Fabroni *l. c.* Reumont *l. c.*

98 Fabroni *op. cit.*, II, 284. Poliziano *Prose Volgari*, p. 78.

99 8 Apr. 1492.

100 29 Nov. 1492 (Malipiero); uide Ep. 124.

expectatum Alexandro Papæ dicatum Romæ in lucem anno 1492 exeunte prodijt. Iam sic prodigiis adnumeratus, mox auctor monstrum uisus est. Sesquimense perfectum aliud eiusdem generis opus alia in Plinio et trecenta in Pomponio Mela quæ corrupta uiderentur exhibens sanata, idibus Februarijs 1493 iecit officinis. Quæ si Hermolao ad consolationem uitamque in dies suauiter agendam aliquid profuerint, nobis non cauillandumst, neque nimio licet adficiari dolore quod homo in nugis de scientia humanus adeo sibi blandiari potuerit.

Porro inter homines uersabatur. Iulij Pomponij Leti læta delectatus est familiaritate :[101] maximo uiro *Reuchlin* Germano Italiam adienti facete consuluit ut nomen absonum Græce *Capnio* redderet :[102] quod is (ut notumst) fecit, auctoritati sane tribuens. Cum Oliuerio Caraffa Cardinali arta amicitia coniunctus est. Cuius in suburbano, ut alter dicit Cardinalis eiusque familiaris Petrus Alcyonius,[103] pestilentiam fugens[104] anno 1493 mortem obijt. Fatendumst autem, ut de die natali ita de ultimo rem non planè esse perspectam. Scriptoribus discrepantibus de natali *Archivio di Stato Venezia* uno credidimus testi ; de morte a quinque æqualibus, Petro Alcyonio,[105] Politiano,[106] Merula,[107] Marco Parenti[108], Petro Delphino[109] res

101 Paulus Cortesius *De Cardinalatu* etc Castro Cortesio 1510, p. 60 *(De Amicitia)*. uide Zeno *D. V.* II, p. 251.

102 *Reuchlins Briefwechsel*, ed. Ludwig Geiger, Tübingen 1875, p. 30. r. *Corpus Reformatorum*, ed. Breitschneider, III, p. 208 : epistola Georgij Aemilij (Georg Oehmler).

103 *Medices Legatus de Exilio.*

104 Petri Delphini *Epist.* III, no. 70.

105 *L. c.* : plus scripsit *biennio exsul.*

106 Ep. ad Io. Picum (in Politiani. Ep. lib. XII) : edidit ille *paulo ante quam obijt* opus ut scis elegans et eruditum Plinianarum Castigationum.

107 Ep. MS. quam *Zeno* excussit : *Antonio Calbo*. Amisimus, gene-

confirmatast: mense Iulio Hermolaum obitum esse. Sepulchrum quod nonnulli Romæ in ecclesia *Madonna del Popolo* situm dicunt,[110] amicis nostris diligenter sciscitantibus uidere non contigit: quare de inscriptione[111] admodum dubiosa quæritur utrum extiterit: sunt uero qui Hermolai cadauer sepultura caruisse dicant[112].

Scripta domi multa reliquit: quæ infaustis illis diebus cum Roma omnisque Italia bellis discordiis incendijs diruebatur, in squalore iacentia planè perijssent, nisi Hermolai librarius domini sui (ut ipse diceret) *ueris reliquijs* curam cum pietate adtulisset[113] Iuuat hoc ultimo loco de homine mentionem facere, qui ex Hermolai iuuentute usque ad mortem fideliter cum erudito eruditus communem uitam egit.[114] Nomen Thomas de Zeno-

rose Antoni, Hermolaum ...... perpetuus victurus sit. Vale. Ex Mediolano IV Nonas sextilis MCDXCIII Georgius Merula.

108 *Memorie Istoriche* ad *1493 Luglio*.

109 Epistolarum libri XII Venetijs 1524 : III, no. 70. Quæ omnia ex Zeno *DV* sumpsi. Trithemium testem quamquam æqualem adhibere minus bene fecit.

110 Laurentius Schraderus *Monumentorum Italiæ quæ hoc nostro sæculo* etc p. 159.
Franciscus Swerzius *Selectæ Christ. Orb. deliciæ* Colon. 1608, p. 44.
Burchelati *Commentariolum. Memor. Mult. Hist. Taruis.* Taruisij, 1616, p. 236.
Mabillon *Iter Italicum.* Lut. Paris, 1687, p. 204.

111 Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem
Barbarus hic situs est utraque lingua gemitu (?)
Vrbs Venetum uitam, mortem dedit inclyta Roma.
Non potuit nasci clarius atque mori.
Obijt ann MCCCCXCIIII Maii XXI Vix Ann XLI.
Cum Hermolaum Iulio mortuum esse constat nonnullique diem illum Maii XXI natalem fuisse dicunt, et talem esse suspicandum est.

112 Ioan. Pierius Valerianus : *De Litteratorum Infelicitate* Venetijs, 1620, p. 9.

113 Inter scripta fuerunt Aristotelica omnia, uide Petrus Alcyonius *l. c.*; Hermolai Barbari Patricij Veneti etc, in Dioscoridem Corollarium libri quinque. Coloniæ 1530 *Ep. dedic.* (B. Egnatij).

114 Vide Ep. 47, 61, 111 (fin); *Castigationes Plinianæ* lib. VII (inter primas).

telis: quod antiquitatis ardore motus alio nomine amplioreque *Didymus*, tum patriæ denominatione *Feltrensis* siue *Fertinus* ita auxit, ut in codice quodam Bibliothecæ Marcianæ[115] unus quattuor nominibus *Thomas Didymus Zenoteles Fertinus* designaretur. Hic omnia Venetias inque familiam transferre studuit: qua curante nonnulla postea excussa famam patricij doctoris equitis senatoris legati, denique uiri de patria atque litteris, forsitan et de ecclesia optime merentis cum iam per se magnam tum multo maiorem effecerunt.[116]

[115] Cl. X n. XXXIV. Maiorem codicis partem inde a f. 33r Thomas de Zenotelis exarauit (uide Dionysij Halicarnassei opuscula, 1899, Teubner Vol. I, Prefatio Hermanni Vseneri).

[116] Præter ea quæ nominauimus opera, hæc minora aut Barbari sunt aut Barbaro attributa:

(a) Gilberti Porretani liber de sex principijs.
H. B. interprete Parisijs 1541.

(b) Compendium Galeni. Vide Trithemius *l. c.*

(c) Quantum astronomia medicinæ conueniat.

(d) Questiones Geometricæ.

(e) Plutarchus de Iside et Osiride. Vide Trithemius, *l. c.*

(f) Plutarchus dialogus Quare oracula defecerint. Vide Trithemius, *l. c.*

(g) Dionysij Areopagitæ opusculum quoddam.

(h) Animaduersiones in Cornucopiam Perotti.
Marciana Lat. Cl. XIV Cod 199 (99.6).
Vaticana, cod. 5392.

Hoc opus cauillationum sophisticarum in modum conscriptum, de quo in epist. 136, 137 agitur.

(i) De Officio Legati.
Ambrosiana cod. N 24 sup.
cod. Q 122 sup. f. 235-9.
Vaticana cod. 5392.

Barbari autographa quod sciam hæc sunt:

a. Marciana Cl. X, n. XXXIV codex Dionysij Halicarnassei. Fol. 2-33v manu Hermolai Barbari Veneti scriptus (uide ed. Teubner).

b. Nationale, n, 3056 (Athenæus).

c. Ex epistolis solæ (1) quam ipsi tenemus (uide Ep. 142), (2) tum quæ *Inventaire des Autographes de Benjamin Fillon*, I, p. 233, n. 819, designatast, autographæ esse uidentur: tamen nonnullas dispersas apud curiosos iacere, sicut et codices quibus usus est multos hic illic nomine uerbisque obsignatos inueniri posse res ipsa indicat.

IX

Huc usque de uita; nunc re exposita ad iudicia secundum morem prodeamus et ad generalis sententias, ne commentariolum nostrum quasi ædificium fastigijs cacumineque carens nullum fiat. Cum enim Hermolaus præcipue pro scientia grammaticus uitam egit, quomodo partes eas susceperit res postulat ut pronunciemus. Postremo loco pauca (si placet) de homine faciemus uerba, tamen ita ut in ipsius epistolis uiuam qui quærunt imaginem tandem repperiant totam.

Primum igitur dicito de auctore. Sua quidem ætate inter opera monstrum illud *Plinianæ Castigationes* omne tulit punctum Plinijque uisum est reddere quasi deperdita uerba. Eo magis dolendum est nostros, quicunque in uetere illa *Naturali Historia* uersentur, Barbari nomen tantum non ignorare: eadem sunt sananda, emendatio aliast. Non tamen idcirco hominem decet irridere. Omnia mutantur studia, nec mirum erat si de nostris quoque laboribus posteritas infensa idem tulisset iudicium quam nos de Veneto, et quidem Plinius semper castigandus fuisset.

Alia de ijs quæstiost quæ Græca Hermolaus Latina uertit lingua. Siquidem paruum aut nullum prosunt emendationes, magnum contra præstat is qui antiquos suis auctores hominibus interpretet reddatque. Exempli gratia Ficinum ponamus, cuius libri Platonici cum studio descripti et amore nunc etiam post tot tantosque in Academia exanclatos labores nonnihil ad sententias intelligendum contribuunt. Quæritur an idem et Aristotelica Hermolai polleant. Quod spectantes cum ipsi *Rhetoricen* nuper recognoscebamus deque scientia

nostra sæpissime desperandum erat, continuo adibamus Hermolaum. Vno uerbo pænituit. Non solum uerba Græca nuda sane atque dura longis ambagibus ueraque rhetorice fiunt Latina, sed etiam temeritate noxia homo raptim scribit securus. Statim in initio Aristoteles dicit rhetoricen ut etiam dialecticen in ijs uersari quæ nullius distinctæ sint rationis: quare omnes quodammodo earum esse participes, sicut et omnes ex aliqua parte et refutare et rem exponere conari, item et defensionem sui et accusationem[117] dicere. Hæc Hermolaus: *Propterea nemo est qui facultatum illarum sit penitus rudis: habent enim omnes cum ad exquirendum et respondendum, tum ad accusandum et defendendum uim quandam naturalem atque conatum.*[118] Quæ cum longiora, tamen iusta scribuntur. Non ita de locis iudicari licet, quos nunc (si placet) adibimus. Aristoteles de amicitia deque ijs disserens quos amemus hæc notat :

καὶ πρὸς οὓς οὕτως ἔχουσιν ὥστε μὴ αἰσχύνεσθαι τὰ πρὸς δόξαν μὴ καταφρονοῦντες. καὶ πρὸς οὓς αἰσχύνονται τὰ πρὸς ἀλήθειαν[119].

Quæ uerba interpretaturi locum paullo infra hic describamus :

ὅλως δὲ οὐκ αἰσχύνονται οὔθ' ὧν πολὺ καταφρονοῦσι τῆς δόξης τοῦ ἀληθεύειν· οὐδεὶς γὰρ παιδία καὶ θηρία αἰσχύνεται· οὔτε ταὐτὰ τοὺς γνωρίμους καὶ τοὺς ἀγνῶτας, ἀλλὰ τοὺς μὲν γνωρίμους τὰ πρὸς ἀλήθειαν δοκοῦντα, τοὺς δ'ἄπωθεν τὰ πρὸς τὸν νόμον[120].

Prioribus igitur uerbis philosophus nos eos amare significat, quibuscum uersantes externa omnia illa nihili faciamus, siquidem eosdem non contemnamus ;

117. Arist. *Rhet.* 1354 a init.
118 Editio Lugd. (Gryphius), 1544, p. 18-19.
119 *Rhet.* B, 1381 b, 20.
120 *Rhet.* B, 1384 b, 25.

item quibuscum uera atque intima plurimi faciamus.

Hermolaus sic uertit: *Illi quoque quibuscum ita licet loqui ut sine rubore confiteri possimus non contemnere nos ea quæ uel in ostentatione sunt posita, potius contra erubescamus dissimulato ambitu eo prætendere studium ueritatis.*[121] — Alio loco denique de oratore Aristoteles loquitur, quomodo animos audientium contrahat atque remittat. Quædam de risu mouendo præscribit, tamen hæc ipsa sicut et illam in oratore probitatis simulationem omnia dicit eo referri posse, quo magis audientes animum intendant: probitatem enim attentos facere. Hæc sunt uerba :

Εἰς δὲ εὐμάθειαν ἅπαντα ἀνάξει ἐάν τις βούληται καὶ τὸ ἐπιεικῆ φαίνεσθαι. προσέχουσι γὰρ μᾶλλον τούτοις.[122]

Hermolaus ita : *Dociles potissimum efficit is qui potest præstare ut uir æquus ac probus esse uideatur; nam illis passim adhibebitur animus.*

Certe perdifficilem esse auctorem Stagyritam et incommodissum non potest negari, neque nostrates quorum plurimi scripta illa suis reddere linguis conati sunt, semper felices uel consoni exstiterunt. Accedit quod latina lingua ægre notiones illæ rerum formæque dicuntur, philosophia uero apud Romanos nullast, sin aliqua, teste Cicerone insulsa. Quæ si Barbarus reputasset, ignoscendum erat ei quod magna tentans multa prolapsus esset. Cum autem in mole laborum suorum contra gloriatus est, errores crimina fiunt.

X

Ad hominen accedimus. Nunc de Venetis illud notumst quod qui litterati essent, non eo minus exstite-

121 HB, p. 256.
122 Arist. *Rhet* Γ 1414 a fin.

bant patricij, neque scientiam colentes et humanitatem ita accipiebant, ut neglectis rebus publicis publicaque persona mundus atque munditiæ iam plane sibi essent contemnenda. Itaque ceteros Italos non raro accidit coram hærere dubios utrum cum Mæcenatibus uersarentur an cum Maronibus, hos autem doctos in principibus, in doctis quasi principes utraque parte sibi solum non imperfectos uideri. Quibus in rebus ut non ex certis plerunque licet concludere exemplis sed potius e quadam morum complexione atque uerborum, de Hermolao contra documentum tale in promptust quale in alio fere nullo : epistolam dico illam quam Petrus Medices cum legatum Florentiam in itinere deuersum recepisset, ad patrem magnificum ita conscripsit non ingrate, ut Hermolai imago ab æquali quasi depicta nostris iam clara oculis uereque stet expressa. Verba hæc :

Laurentio de Medicis
a Bagno a Vignone filius Petrus de Medicis

Magnifice Pater, etc. Intesi da Ser Piero per una sua, che hebbi hiermattina, quanto desideravi si facessi circa la venuta di Messer Hermolao, el quale venne hieri dopo mangiare, & quasi ex improviso, che non se ne seppe nulla, se non forse un'hora inanzi. Io gli andai incontro, & da quattro o cinqu'altri in fuora non vi venne altri, & bisognò, che gli smontassi all'osteria, che ancora non era ad ordine la stantia, che vi si menò poi a piè. Subito che io fui smontato, tornai da lui per invitarlo, come mi era suto scripto, & visitarlo, & perintendere quanto voleva stare qui fermo ; invitailo per hoggi, & intesi non stava più quì che hoggi, e domane cavalcava per essere domani sera a Poggibonsi, o in luogo, che

l'altro dì desini in Siena, dove non posso intendere se si fermerà. Noi lo abbiamo hoggi convitato, che non si potria dire quanto lui lo ha havuto a caro. Habbiamogli dato in compagnia a tavola chi lui desiderava oltra quelli, che lui aveva seco, che haveva un suo fratello carnale, un segretario di S. Marco, & un Dottore. Di quì vi fu el Conte della Mirandola, Messer Marsilio, M. Agnolo da Montepulciano, e per torre un cittadino, e non uscire di parente e letterato, togliemmo Bernardo Rucellai, che non so se habbiamo fatto bene o male. Dipoi che avemmo desinato, li monstrai la casa, le medaglie, vasi & cammei, & in summa ogni cosa per insino al giardino, di che prese gran piacere, benche non credo s'intenda molto di scultura. Pure gli piaceva assai la notitia e l'antiquità delle medaglie, e tutti si maravigliavano del numero di si buone cose etc. Di lui non vi saprei dire particolare, se non che è un homo molto elegante nel parlare per quello che io ne intendo. Ajutasi delle lettere, & fassene honore & in rubare molti, & in dirne ancora in Latino. Lo aspecto lo vedrete, che non può essere migliore, & secondo i facti. Temperato in ogni sua cosa, e pare ne habbï bisogno, che pare molto cagionevole & debole di complexione. Ha nome di experto in rebus agendis, ma non pare consonino queste cose insieme, che piu presto pare da ceremonia che nò. Non potrebbe monstrare, più che si faccia, essere vostro amico, & credo sia, & molto gratamente ha ricevuto ogni honore, che gli è stato facto, & non punto alla Veneziana, che non pare di là se non al vestire. Ma secondo che dice ha grandissimo desiderio di vedervi, & dice di volere divertere per trovarvi ed abbraciarvi: hovelo voluto significare se a voi facessi per proposito di aspettarlo, che dice avere commissione

etiam di salutarvi da parte della sua Signoria. Quì gli è stato ſacto publico da'cittadini, & ristorato del lasciarlo smontare all'osteria, & stamani innanzi venisse a desinare visitò la Signoria con molte grate parole, le quali non scrivo, perchè credo ser Niccolò ve le scriverà lui, che così gli ho decto. Fuvi un poco di scandalo, che nel rispondere il Gonfaloniere prese un poco di vento presso al fine, così si restò senza troppa risposta, che credo nel animo suo se ne ridessi, & ab uno didicerit omnes, che così se ne doleva hoggi qualchuno de'nostri. Circa l'honore non so che mi vi dire altro. El convito come gl'andò farò fare una listra all'Oraſo, & ve la manderò ſorse con questa, se lo trovano.... Firenze a dì 10 di Maggio 1490.[122]

En ipsum hominem, quantoque a Florentinis distet quasi præsens deprehendis. Et quidem ab hoc loco non alienum reminisci Petrarcham, quem gente et illum nobili moribusque generosis Italiam nouimus peruagantem summos legatum adijsse principes. Ac tamen in eo non duæ personæ uel etiam plures apparebant, neque uicissim doctus homo mutabat cum publico. Totum se nunc Musæ tradidit, nunc in libris conquirendis et in scientia reposuit, nunc somniatam illam fixus adspexit rempublicam : quæ omnia alijs hominibus non incallide suam adductis in sententiam sciebat cum gloria insequi cumque utilitate. Fuit Florentinus. Venetum contra ex *Signoriæ* quasi penetralibus atque tenebris in lucem prodientem secreta secum multa omnes sentiunt circumferre et infida pro republica

[122] Fabroni : *Laurentij Medicis Magnifici Vita*, II, p. 377.
Reumont : *Lorenzo de' Medici*, II, p. 72.
Arnoldo della Torre : *Storia dell' Accademia Platonica di Firenze* Firenze 1902, p. 812.

agentem quendam adesse uersutum. Ex altera parte doctrina homini non suauis illast et diffusa, quæ in omni uersata antiquitate prope Sorgam aut in collibus Tuscis, Villam dico *Careggi* et amœnum Camaldulensem locum, seipsam delectans renascatur, sed uerborum curiositas et librorum, qua potius timor injciatur alijs quam qua nouæ comiter rationes uariaque rerum natura illustrentur. Non sane urbanitas Veneto negandast, sed in eum modum quo magni (ut dicitur) sint usi quæque minus amabilis quam correcta iure nominetur.

Tamen ipsum Hermolaum publica deponere uoluisse negotia solæque modestum scientiæ uacare ex eo patet, quod cum ex patricio fieret patriarcha, id ei minime contra spem atque uotum acciderit. Ideone mentitam esse famam concludemus, qua nimis rerum peritus dictus sit ? Hoc tantum, ut nobis quidem uidetur, admitti decet : minus proprio ingenio uirtutem illam Hermolaum possedisse quam communi Venetorum natura atque facultate. Quod ad modestiam attinet, non poscitur iudicium. De rubore homo simplex loquitur sæpissime, quo malæ facilius suffundantur, item æquales et amici pudorem cum laudibus concelebrant. Aliud autem rubor, aliud modestia. Quod uerbum doctis illis frequens in ore uersabatur, item res ut iam penitus sibi uisast adepta : non tamen eo minus labores ipsi suos suamque rationem probantes commendabant, necnon et alios qui præcipue easdem tractarent materias, cum iniurijs insectabantur atque contumelijs. De Hermolao hoc etiam notandumst : quotiens eum amicus de re quadam obscuriore incertus adibat, mirum quanto noster adficeretur lætitia, quippe ut magna in causa maximus summam postulatus sententiam. Sistamus. Prodigiosa fuit doctrina, diligentia mirabili. Quod philologiam

spectat, hominem potius nono decimo natum esse sæculo quam illo crederes renascentis Italiæ.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
die II, mens. Febr. ann. MCMIII.
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
L. GRÉARD.

APPENDIX

QVO CONTINENTVR
CVM BARBARI PLVRIMÆ EPISTOLÆ INEDITÆ
TVM OMNIVM QVÆCVMQVÆ EI ATTRIBVVNTVR ELENCHVS

I

BIBLIOTHECA DI LUCCA, MSS. 1415

HERMOLAI BARBARI EPISTOLARVM LIBER MANV PROPRIA, EIVSDEM QVÆSTIONES SEX DE INTENTIONE ET REMISSIONE QUALITATIS[1].

Liber IIII epistolarum Hermolai Barbari incipit[2].

1. *Sixto summo Pontifici.* Sacrosanctas litteras tuas, Pater beatissime, quanta debui religione uenerationeque adoraui. Themistium nostrum probari a te quamquam credo quod mihi affirmas, quia tamen tanta res est iudicio summi et doctissimi pontificis commendari quanta intelligitur, agitatus sum aliquandiu uario æstu... sed oculis plane cernantur. Vale Domine noster pientissime.

[1] Quæstiones illæ desiderantur. Manus non HB esse uidetur.

[2] Qui cum ex quinque et uiginti epistolis consistit, duo et uiginti priores huc collocamus, tres ultimas locis suis relinquimus, ut temporis ordo seruetur.

2. [?] Maximum fructum capio laborum meorum, Præsul humanissime, quantum [?] ad me de Themistio nostro uir tantus sustines.... Ago igitur gratias tibi non usitatas illas quidem et uulgarias sed singulares quasdam atque impromiscuas, quod quom paternam istam legationem [1] auctoritate gratia opera consilio foueris iuueris..... parem facere ratione studebimus. Vale.

3. [?] Non putabam fieri posse, patrone noster humanissime, ut tibi amplius deberem quam hactenus debui. Nam et illustria tua in nostram rempublicam et priuatim in Zachariam patrem amplissima merita uidebantur..... Ceterum acceptis litteris tuis quibus interpretationem nostram in Themistio miris in cœlum effers laudibus.... tibi opes secundum Pontificem primæ. Laudes a tanto uiro missas sustinere qui possumus ?..... memoria sempiterna. Vale.

4. [?] Ex grauissimis et humanissimis litteris tuis, princeps noster suauissime, facilis mihi coniectura fuit te, in eo quod commentationem nostram in Themistio tantopere comprobas, non tam iudicio falsum esse (id quod in te nefas est cadere) quam bonitate naturæ liberius..... Quom enim et Franciscum Barbarum auum meum dum uiueret eo numero habueris quo litteræ tuæ præferunt, et nunc memoriam defuncti eius tam religiose colas quam uiuum delexeris, quomque in Zachariam patrem legatione tota [2] tam sedulus tam præsens omnibus rebus magnis iuxta paruisque fueris quam ne homo quidem mediocris fortunæ sustinuisset, quom denique iudicium tuum de ingenio meo..... ne dicam cœlitus missæ. Vale.

5. [?] Pudet fateri, optime cardinalium, quantum ruboris iniecerint mihi luculentissimæ litteræ tuæ, in quibus tu commendandis lucubrationibus nostris..... non in comparationem modo uocabas cum Francisco Barbaro auo meo sed præferebas..... Tanta sunt istæc promerita subtiliter æstimantibus, ut necesse sit (quod iure frequens Zachariæ patri adagio est) ingratos plane nos atque barbaros prodi..... tua sunt omnia. Vale.

6. [*Sixto summo Pontifici*]. Nihil nobis difficilius est, Pontifex maxime,..... a nobis illas admonitus fueris. Vale noster Domine pientissime et clementissime.

7. [*Federigo Vrbinati Duci*]. Non sum dicturus hac epistola

[1] Pro Venetis Romanam. Vide HB *Themistium* epist. dedic.

[2] Vide Epist. 2.

princeps humanissime..... In uno tantum hærebo, quod me in admirationem tui transuersum sæpenumero abstulit : nobilitatem dico egregiam illam et impromiscuam animi tui, quæ te, quantum acriter intuendo complecti coniectura possum, non plus dignum principem facit quam e cœtu principum retrahit, fastigio quodam et culmine altiore constituit. Ac gessisti tu quidem pace ac bello præclaras res omnes quæ ab [sic] nato te in Italia memorantur, nihil ut sit notitia dignum posteritatis quoi tu non magis interfueris quam præfueris..... Occurris mihi litteratissimus princeps et (quod maius honestamentum est) philosophus maximus..... Vrbino tuo nihil sit urbanius, saxis istis nihil sit mollius, Vmbria tua nihil sit illustrius..... Ceterum qui tibi has defert, casu quodam incidisse mihi uidetur in tempus quo scribebam ad te, idque de litteris. Et is ex eodem numero est qui aquilas tuas, non cruentas illas et bellicas, sed cicures et letterarias sequitur. Iuuenem bonum et doctum qui tibi commendant, ludunt operam : ipse se tibi commendat, interprete aut intercessore non eget. In hunc amplius ut liberalis esse possis, inuenies præter ea quæ dixi et litteras græcas et uariam lectionem, et in omni doctrina quendam profectum... Themistius meus in ista tua bibliotheca quid rerum geret, haud magnopere scio : coniectura tantum assequor nihil in eo esse quod offendat præter interpretem. Vale. Venetijs[1].

8. [?] Litteras tuas magna uoluptate legimus, quoniam iacta esse ostendis fundamenta, si per me non stat, amicitiæ sempiternæ..... Quæ tu de me prædicas a clarissimo uiro Georgio Merula et a Malipede [?] instructus, non dico subornatus aut deceptus..... sed iocor. Vale iterum. Venetijs VIII Cal. Quint. MCCCCLXXXII[2].

9.[3] [*Io. Pico Mirandulano*]. Accepi epistolam tuam officiorum.... Quod enim maius, obsecro, uoluntatis tuæ aduersum me atque

[1] De quo agatur non constat. De Federico illo quo nemo in Italia exstitit inlustrior omne uerbum superuacuum. Mortuus mense septembri 1482.

[2] Insunt in hac epistola obscuriora quædam uerba quæ hic referre liceat : « Torquebo dixi, torquebo qui diu me torserunt et torquent, quasi dicat aliquis Scire non possis quæ ignoret alius : non hoc dico sed illud. Torquebunt procul dubio te, quoniam uirum quenque doctissimum torquent ». In margine lineis illis duobus primæ signum =, secundæ — adnotantur : quæ quid significent nescio, uidetur autem Hermolaus subiratus certiora quædam dixisse tum omisisse.

[3] Ms et Bibl. Vatic. Cod. Capp. 235 ff. 40-42 exstat.

sensus experimentum optauerim, quam inter causas fuisse tibi me, quamobrem Patauinum gymnasium ex omnibus potissimum ad perdiscendam philosophiam deligeres atque, quom accessisses et in ibi [sic] etiam continuum biennium mansitasses, desyderium tamen (id quod uel fortunæ sit culpa uel mea unius tota) noscendi et amplectendi me, immo hercule (ut tu uis intelligi) etiam fruendi tam diu frustra fouisse?..... Themistio quem tu nimio uidelicet amore lapsus Romanum appellas..... Præterea constabat nobis te meliora quoque quom uelles grauioraque quam epistolas scribere: quamquam hoc ipso epistolas tuas amo quod fluunt, quod affectatæ non sunt, quod curam non dico non norunt sed respuunt, de composito non recipiunt et accedentem inferrique cupientem excludunt: ita ut diligentiæ quidem sint penitus in iis uestigia, sed repressæ quodammodo atque repudiatæ..... Tuo, inquis, nomine Patauium Italiæ nos uocanti prætulimus, Patauij fuimus et biennium Hermolaum tamen (quis credat?) nec uidimus nec nisi, ut multo ante, fama cognouimus. Idem acuminis et sequenti mox clausulæ. Atque aberam quidem, mi Pice, inde ab Academia quom uenisti; sed parum fuerat tam parata hinc illuc nauigatione per indigenam fluuium tam breui non totius diei aduolare ad te!..... quam citra constitimus. Vale. Venetijs pridie Cal. Oct .MCCCCLXXXII.

10. [*Io. Pico Mirandulano*]. Festus domi meæ agitur dies..... uel ærumna sit Herculis. Vale. Venetijs.

11. [?] Non respondi ante litteris tuis, Præsul humanissime.... Proinde diligentiam summam adhibui conquirendo quem uelles medico..... Alioquin agi rem meam existimo quom de voluntate ac salute tua tractatur..... Quod uero ad medicum attinet, negari non potest, ut multi sunt qui condicionem acciperent quos ego non moror, ita esse nonnullos qui, siue quod non intelligunt quanto principi ministerium suum accomodent siue quod quæstus iis inter suos largiter ad animum respondent siue quod maioris operæ existimant principibus magnis placere, minus mihi dant operam quam uellem..... credere carius quam salutem. Vale.

12. [*eidem*] Post litteras illas priores, quibus nonnullam in medico cooptando difficultatem tibi significauimus, uenit mihi subinde in mentem hominis (ut mea ferebat opinio) sane doctissimi et probitates illas habentis omnes, quas epistola tua præscriberet.

Nam et medicinæ instructissimus iuxta et expertissimus uidebatur et grandior etiam natu, quippe qui quadragesimum plus minus annum impleuerit; et carebat uxore; constantis præterea in quæcunque semel suscepta propositi, neque moribus neque existimatione (quod equidem sciam) obnoxia, atque, ut fidem meam in hoc uel arctius tibi obstringam, quantum coniectari possum, idoneus omnino ad quem usum uolebam. Nomen uiro Fr. Turricella; Patauinus is est honesta familia. Hunc conueni et prætentaui quam commodissime, summanque mandatorum tuorum exposui diligentia et fide qua debui, commemorans identidem quantus uir esses, qua potestate, qua fortuna, qua spe, præterea quam bonus, quam magnificus: quam multa, item quam rara uirtutum insignia conspecturus esset. Quid plura? dixi quæ scire illum oportuit antequam dicerentur, sed tam libenter auscultabat, quasi nesciret. Sciebat tamen quis esses ex Ioanne Vrio, qui cum ei fuit magna familiaritas. Respondit igitur breuiter: Placere sibi principem ante omnia, sed et condiciones, si modo non aliæ sint futuræ, quam quæ Ioannis, quoi quæritur successor, fuerunt: accepisse se a fratre ac nepote illius salarium ei constitutum fuisse annuum aureorum C, præterea et prælecturam quandam, mox et liberum medicandi ius per urbem. Tertium hoc se remittere arbitratu tuo ut regas; iustum enim uideri metum periculi eius quod caues per hoc. De secundà condicione, id est prælectionis, quoniam id iuris tui non sit aliter futurum quam si locus uacet casu aliquo, uideri æquum dicebat ut, quoad sese daret illa occasio, redditus medij temporis aliqua præbitorum annuorum accessiuncula sarciretur. Quamquam uero inuitus hoc audiebam, ut qui non probarem leges tecum aliquæ scriberentur, quando tamen nihil nocebat, curaui ut rescires quæcumque cum illo super hoc commentus essem. Hominem, uti diximus inter initia, facile omnibus antefero qui haberi ad munus hoc possint: ut, quanquam mallebam ut paulo se liberalius dedidisset ac totum te potius promereri quæsisset, quam ad certam lucelli spem uinciri, utcumque tamen ferendus uidetur, si cætera utique non deficiunt; quando, ut aliis quoque litteris meis scripsi, neque tam bene te norunt omnes ut ipse facio, neque plane sciunt plerique quid sibi expediat. Vtinam Alexander meus hic esset, quem paulo ante quam litteras tuas accepi Methonem conduci curaueram: in hoc genere neminem prætulissem. Vale

mi Domine. Venetijs die ultimo Februarij MCCCCLXXXII [1].

13. [*eidem*] Ex litteris tuis secundis intellexi rationes meas tibi delatas fide qua debuerunt non fuisse : quæ res quanto me dolore affecerit, Princeps mi humanissime, explicare dicendo non possum, sed tantus mehercule fuit quam haud temere alias concepi. Ego tibi homuntio non responderem ! ó flagitium, non si admissum, sed si cogitatum quoque fuit a me! Respondi, et quidem, ut debui, bis respondi. Sed nihil mihi nec diligentia profuit nec commendatio, quam cum isto siccario et scelerato cursore ad fastidium usque curiosissimamque adhibui. Et mihi quidem (ut dixi) uehementer indoleo, quia interim dum me purgo, dum nescitur penes quem sit culpa, in magna me esse sentio apud omnes inuidia. Sed obiratus sum, tamen maxime tabellario quoius crimen in me redundat, immo quoius perfidia fraudi meæ tota rescribitur. Inter hæc solatur omnino me conscentia ipsa et ueritas, quam non dubito simul hæc legeris agniturus sis ; solatur humanitas indulgentia æquitas tua, per quæ tanquam interpretes quosdam uel grauissimè delinquentibus ueniæ aditus patet. Ne illud quoque mihi non uoluptati magnæ fuit, quod in litteris tuis, quibus me officij appellas eius quod præteriisse uideor, licet animaduertere qualem te aduersus tuos exibeas, quoties iusta expostulatio interuenit : non quod iniusta sit hæc qua tu mecum uteris, sed quod [lacuna] cadit, ut, etiam si tu iuste coarguas, iniuste tamen qui non peccauerit damnetur. Ac tu tamen non damnas, sed quasi nihil omnino sit prætermissum, quasi mora non fuerit, quasi res integra sit, nihil propalam quereris, nihil oblique insimulas, sed contra excusans identidem me ac subinde culpam abijciens eleuansque responsum tibi simpliciter rogas. Qualem te speremus futurum in eos qui benemerentur de te, quem tam modestum male merentes inueniunt! Sed ut me uero scias nihil confinxisse defensionis huius gratia, exemplum litterarum mearum quas ad te scripsi mittendum duxi. Tulit eas homo, qui se e familia cardinalis hispaniensis, quem uos ut puto procancellarium uocatis, prædicabat. Non respondi ante litteris tuis : hæc prima epistola. Nunc secunda post litteras illas priores et reliqua. Hactenus de duabus nostris epistolis, quas mehercle non purgandi me gratia adeo quam ut rescires quæ facta sunt scripsi. Sed redeamus ad medicum. Franciscus ille quem commendabam tibi, rem dilatam ratus

[1] More Veneto, ut uidetur. Vide epist. sq.

aut medicum aliunde tibi prouisum existimans, quanquam retinente me et ut responsum expetaret rogante, abiit Cal. fere Aprilibus in Dalmatiam Tragarium conductus. Alexandro meo in Græciam scripsi, sed responsum haberi nondum potuit. Sed quod de Gabriele Veronensi scribis, quanquam non rogatus consilium dare præsertim tibi non debeo, dicam tamen pro fide mea quod nouerim. Is si est qui Bononiæ prælegebat et si cætera satisfaciunt (nam uxorem habet), de ingenio eius et doctrina præclare sentio, philosophum quidem et dialecticum acutissimum scio expertusque sum Patauij : medicinæ quoque operam eum dedisse compertum habeo, Bononiæ etiam publicitus legisse artis illius libros accepi : nec dubium mihi est quin medicus quoque idoneus euaserit. Post Franciscum autem illum, quem in Dalmatiam concessisse dixi, Varescum habebam Miliarium præstantis et ipsum doctrinæ ; qui uxore caret, spectandus fide grauitate moribus. Hunc tibi, si Alexander, quem omnibus antepono quamquam minorem ætate, remotior uidetur quam ut expectandus sit, plurimum commendo : ita tamen ut in medio sit Gabrielem an hunc cooptes : neque enim hunc Gabrieli neque Gabrielem huic prætulerim. Vale, mi domine optime atque indulgentissime. Venetijs Idibus April. MCCCCLXXXIII. Post consignatam epistolam conuenit me Variscus negans licere sibi discedere, atque id causis quibusdam interpellantibus. Doleo uicem hominis, non quod incidisse non possint aliqua omnino quæ retrahant, sed quod ignorare uidetur quanti sit hæc occasio : quam uolens an nolens nescio, sed perdit tamen. Nulla enim possunt esse impedimenta æque grauia et insignia, quibus elidi hæc oportunitas debeat. Non desinam tamen scrutari, si quem idoneum nouero, quanquam non spero Gabriele peritiorem inueniri posse quenquam. Vale mi domine. Venetijs XIII Cal. Mai. MCCCCLXXXIII.

14. [*Georgio Merulæ Alexandrino* [1]]. Quæ tibi contigerint in itinere, quæ quom in suburbanum uenisti, postremo quæcunque Mediolanum ingresso, per litteras tuas ad Buzacharinum et ad Demetrium cognoui, nunc ex iis quas ad me scripsisti. Video te ad historiam conuersum, ac prospera quidem tibi euenisse quæ concupieris. Tam sum gauisus, quam qui communia sibi esse quæ tua sunt deputet, et sane, mi Georgi, quom plane sciam

[1] De quo uide Salutto-Badini : *Vita di G. M.* Alessandria 1894. De historia quam conscripsit Mediolanensi omnia nota. Vide Epist. 24.

me tibi plurimum debere. Videor mihi partem aliquam tecum æris alieni expungere, si de rebus tuis secundis lætitiam incredibilem capiam. Nec tamen postulo ut credas lætiorem me ob hoc nuncium, quam tu uel sis, fuisse. Illud mihi sumo: neminem uno te excepto locupletius lætatum quam ipse fuerim. In summa gratulationem tuam gratulatione tua gratulatus sum tibi et gratulor. Quod autem pertinet ad historiam, quoi totus immines et incumbis, consilium tuum et diligentiam probamus: tum quod Principis desyderio tam honesto gerendus omnino mos est, præsertim tam liberalis in te quam prædicas; tum quod sperandum est laboris tui fructum et alios quoque, quam propter quos institutus est, redundaturum. Præterea non dubito quin amplissimam laudem tibi comparaturus hinc sis. Nam et probe tenes, uir doctissimus, quam mentem afferre oporteat ad scribendam historiam, et qui te in omni uita innocentissimum et consultissimum præbuisti, desyderari prudentiam tuam hac parte non facies. Cæterum, quamquam exploratissimum habeo qua fide qua grauitate sis ingressurus historiam scribere, tamen pro meo in te amore solicitus sum, quod uereor ne tibi liberum sit consilio per omnia tuo uti [1]. Neque tamen hoc scribo, quasi locus iste potissimum sit, in quo non liceat profiteri quæ sentias; quamquam omnino minus licet, quam in liberis ciuitatibus: non dico nunc hoc, sed quod ubique ueritas pluribus modis obnoxia est, tam hercle dissimulando quam simulando, nisi forte dissimulando magis. Nam mendatium confingentem protinus refellas, tacentem uera non facile coarguas; impudentia illic mera, hic etiamnum calliditas plusquam ueteratoria. Nam et malum quo latentius hoc perniciosius, quia nec præuideri potest et crassatur impunius. Item falsum tueri prætextum non habet ullum, sed uerum silere colores multos habet, quasi nescierit is qui scripsit, quasi exciderit, quasi controuersum, quasi uile, quasi non pertinens ad historiam, proindeque de industria præteritum. Sed quid hæc ego tecum? Nonne rîdendus sum, qui te admoneam huius prudentiæ sus Mineruam, præsertim tam ieiune in tanta præceptorum copia de scribendis historiis? Verum euectus sum huc beniuolentia, ut testatus sum paulo ante. Tu uero perge, ac nos interdum fac participes rerum Italicarum, siquid egregium

[1] Hæc epistola ipsis conscriptast diebus quis Ludouicus Sforza Mediolanensi principatu potitus est.

legendo et dignum notatione compereris. Vale : Venetijs Cal. Sept. MCCCCLXXXIII. Libros Andronici non haberi amplius istic doleo, quanquam si uerum est peruenisse illos in manus Pici nostri, minus moleste fero. Vale iterum.

15. *Pantheo.* Prologum tuum in leges mercatorum ut iubebas legi..... non solet. Vale.

16. *Nicolao Theatino philosopho eminentissimo.* Plurimum tibi debent litterati omnes, præsertim Aristotelici, uir doctissime..... Nam unde, obsecro, recens iste concursus hominum in Scholas tuas Dialecticem Aristotelis extra ordinem profitenti factus est, nisi quod omnes intelligant uera esse quæ doces ?..... deuinxeris officio sempiterno. Vale Venetijs VI Cal. Nouemb. MCCCCLXXXIII.

17. *Litauico* [sic] *Odaxio.* Non putabam fore ut ex morte uiri optimi patris tui afficerer dolore quanto affectus sum... Paulum astrologum salutabis uerbis meis. Vale iterum.

18. *Francisco Buzacharino.* Et magnum à se munus erat... Scriptores græculos hic aliquos inueniri nescio. Iulium et Creticum iubeo saluere. Vale VII Idus Ian. MCCCCLXXXIII [1].

19. *Quintio Æmyliano Cimbriaco.* Et carmen tuum saturnalitium munus et epistolam post accepi. Carmen non placuit sed perplacuit. Antixenium tibi reddo qualem identidem flagitas. Vt amari patiar, modesta postulatio. At ego te uehementer amo uel inuitum, nedum ut patiar amari. Quod attinet ad epistolam, simulac poema tuum in manus meas uenit, correxi uersum illum, antequam quisquam conuentoribus nostris legeret, ad hunc modum : *Quod si Crantoris atque Pulicleti,* Græcorum morem secutus, qui, quom usus exigit, o litteram uertunt in u dipthongon. Res est pertrita, nihil moror. Legére multi carmen, laudauere. Nec quisquam animaduertit, deum testor, quod locus ille correctus a nobis esset. Superuenit mox epistola. Volo ueritas omnis pateat. Hanc ego, neque quis mitteret gnarus neque quid contineret, sine respectu resignaui nonnullis præsentibus, sed amicis omnino tuis. Res facta palam omnis est inuitissimo me. De quo dolorem concepi maiorem quam crederes. Nam et correxisse locum illum deprehensus sum et tu errasse, quodque peius est, uersus tuus iste subdititius non carebat reprensione. Nam legendo *Quam si Crantoris aut Policletea* [?] fit quartus pes

[1] More Veneto.

spondæus, qui non potest corei loco poni. [Πολύκλειτος] enim scribitur. Nec est tamen quod multum doleamus; nam et carmen tuum legetur ut correctum est à me, donec tu emendabis aliter, et qui testes fuerunt uiri probi sunt. Hoc in me recipio; desine tristis esse, nihil eliminabitur: et uiri sæpe magni falluntur, et hæc certe negligentia est, non error. Expectabo ut fœlicius mutes. Non enim omnino placet [lacuna] latino uersu: temporariam certe opem afferre loco et beniuolentiæ et candoris mei fuerit. Vale: VII Idus Ian MCCCCLXXXIIII [1].

20. *Georgio Merulæ Alexandrino.* Ex litteris tuis afficior voluptate tanta... Tu uero Chalco tuo immo et nostro dic me plurimum... Ran [?] Cornelius salutationem tuam tanti fecit ut nihil supra. Galeatias quoque quom particulam litterarum tuarum in qua de ipso mentio habebatur legisset, exsiliit præ lætitia... Quinterniones tuos cum litteris iis recipies. Bernardinum [2] meum exosculaueris mihi. Nihil hic habeo quoius te fieri certiorem oporteat præter unum, quod Martinus [lacuna] scribere cœpit in Plautum, non alio consilio quam [lacuna], quanquam respondeat Martinus [lacuna] Quid facias reuocari non potest, et hercule sim impudens tentare, ut qui comœdias duas absolverit [?]. Vale et ride litterarium risum. Venetijs. Nonis Ian. MCCCCLXXXIII [3].

21. *Laurentio Abstemio.* Inficiari uolo sed nec possum... Quod scribis Odaxium hominem doctissimum mihi esse uehementer coniunctum gaudeo... nauare possis et uelis. Vale.

22. *Cretico.* Nihil mihi molestius esse posset... Vale. Librum huic daturus es perquam tutissime. Venetijs III Cal. Jun. MCCCCLXXXIII [1].

Liber Primus Epistolarum Hermolai Barbari [4]

23. *C. Pontico Faccino.* Litteras tuas auide legi... Carmen tuum castigaui ut uolebas, sed ne castigatum quidem placet... Credo me collegarum meorum humanitate consecuturum, ut

[1] Verus annus. Sequens épistola n. 20 more Veneto datur. In n. 22 errorem scribæ suspicamur.

[2] *I. e.* Crassum, uide Ep. 28.

[3] More Veneto, ut uidetur.

[4] Quem huc post duo et uiginti illas quarti libri epistolas esse collocandum temporis ordo indicat.

abesse mihi liceat proximum quoque mensem a magistratu [1]. Tu istic Silium absolueris, pœticam exercueris... Cupierunt hic boni quidam iuuenes ut pœtas eis græcos temporibus successiuis meis prælegerem : satisfecimus. Nunc in Demosthene delectamur, nunc in Theocrito conquiescimus... Et nisi litteras in posterum accuratius scripseris, intelliges serio me scripsisse dixisse quæ modo ludens scribo .. Vale. Marcum meum saluta meo nomine et Leonardum patrem a quo litteras et responsum accepimus. Scripsit ad nos Merula copiosam et longam epistolam, in qua saluos iubet esse et te et fratrem et Antonium Caluum. Paduæ. VII Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

24. *Georgio Merulæ Alexandrino*. Secesseram Patauinum cum ob pestilentiam [2], quoius nonnulla suspicio est, tum uero maxime ualetudinis et animi gratia... Gratularis in triumuiratum publicis uiribus conquirendis... Quod uero scribis sperare te futurum, unus ut ego utraque magistratus nostri curatione ciuibus meis cumulatissime satisfaciam, et industria conficiendi argenti quod Copiarius sum, et consilio quod Senator [3], uidetur amice plus quam uere dictum... Quod scribis delectari te scribendis historijs quas cœpisti, gaudeo... M. Basilium quibuscunque rebus et quoties appellabor iuuabo. Vale Patauij VIII Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

25. *Hieronymo Balbano Luccensi*. Quanta sit humanitas tua... utinam tam facile respondere opinioni tuæ quam amori potero. Vale. Patauij. VIII Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

26. *Marco Longo sal*. Scribendum ad te duxi, Marce mi suauissime, non tam hercule ut paternam tibi dignitatem et amplitudinem gratularer, quam ille comitiis proximis præfectura monopolij salinarum in eum collata maximo reipublicæ testimonio consecutus est... ad honores in republica magnos et multos adipiscendos. Vale. XII Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

27. *Hieronymo Donato*. Scio te hominem cognoscere quem tibi nunc commendo. Doctus et philosophus est. Alioquin senecta serpentis et cindalo [?] glabrior et omnino [lacuna]

[1] Copiarij ut uidetur (uide ep. sq); nam Senatori a curia abesse perfacile.

[2] Quæ mox uiguit u. *Malipiero* p. 675, 676, 679.

[3] Barbarus igitur iam anno ætatis uigesimo Senator electus est : quod historicos notare decet.

Audiuit præceptorem quæri filijs Georgij Cornelij. Vehementer istuc conduci desyderat: fieri posse putat ut intercessione cum tua tum Andreæ Mauroceni consequatur quod cupit. Hoc uobis difficile fore non arbitror, tum quod iuuenis eruditus est, tum quod non formosus. Visus enim est mihi Maurocenus conditionem hanc uel præcipuam requirere: quanquam non uideo quid sperare possim, quom Augustinus quidam reiectus sit quasi speciosunculus: qui me hercule si speciosus est, Lamia Græcorum deformis esse non potest. Sed iocamur. Tu iuuenem amplectere et omnibus modis adiuua. Nihil eo modestius pudentius uerecundius. Adde quod acute disputat et medicinæ peritus est, et quidem supra quam ætas illa postulet. Sed de hoc satis[1]. Cæterum fere exciderat: scito ei conditionem quancunque placituram dum patronus ei Cornelius eueniat. Vtinam in eo adagioni non sit locus [lacuna]. Sed fortasse uobiscum ero breui. Audio enim legatos e Cæsenatis tabernis redire infectos, nec mirum, si quidem a foribus lupi, ut in græco proverbio est. Sed bene habet idem lupus [lacuna] ut dicitur, et circa puteum frustratus spe chorum ducit. Vale. Patauij pridie natalium tuorum MCCCCLXXXIIII.

28. *Bernardino Crasso.* Litteras tuas Angelerio nostro detuli... ad breue tempus patrocinium deserere cogaris in perpetuum. Vale pridie Cal. Quint. Hanc epistolam Rembaldo communem facito. Patauij MCCCCLXXXIIII.

29. *Pontico Faccino.* Incidis in Scyllam cupiens uitare Charybdin... [de epistolis accurate conscribendis quasi dissertatio] Conniuere licet in epistola non hallucinari, Pontice. Vale Patauij Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

30. *Cæsari sal.* Scio tibi, Cæsar, Iosephum nostrum aut iam plane lectum esse aut (quod proximum uero puto) fastiditum propter mendas, et liber mihi pernecessarius est. Te etiam atque etiam rogo ut eum librum mihi restituas... Librum Ponticus quoi dari uolo curabit istinc ad nos celeriter et accurate perferendum. Patauij Cal. Quint. MCCCCLXXXIIII.

31[2]. *Pontico sal.* Cupio intelligas... esse uideatur Patauij VIII Idus Quint. MCCCCLXXXIIII.

[1] De quo agatur non constat.

[2] Vide *Epistolæ Clarorum Virorum selectæ,* Coloniæ MDLXIX, p. 125, ubi excussa legitur.

32. *Antonio Caluo s.* Multa sunt propter quæ abesse a ciuitate doleo, sed maxime tua causa. Si enim munus illud publicum, quod paulo ante ciuitas in me contulit, eo gratius mihi obuenit quia futurum erat ut tecum in curia Senator sedere possem..... qui nomen meum ut desertoris et timidi detulissent. Vale. Patauij VI Idus Quint. MCCCCLXXXIIII.

33. *Furnio salutem.* Nunciatum mihi est cogitare te Genuam ad parentes tuos reuerti... omnino tua interest omnes, qui tibi consulunt ne discrepes a parentibus, causam tuam malam putare. Vale. Patauij pridie Idus Quint. MCCCCLXXXIIII.

34. *G. Pontico Faccino.* Audi mirabilem in re parua casum. Scripseram ad Furnium litteras... Vale. Litteras ad me scripsit Donatus meus aureas et mellitas, et quia tu causam carum [?] bonam dedisti, scito nos pro eo gratias habuisse tibi plurimas. Patauij pridie Idus Quint.

35. *Pontico Faccino.* Accepi eodem die litteras a te binas et cum iis Pompei Festi non dico reliquias sed plane quisquilias .. [De Suetonij Tranquilli loco, Vit. Ner. 30 fine, longa sequitur disputatio]... Vale XVI Cal. Sext. Patauij. Quom signaturus essem hanc epistolam admonitus sum uerba illa Suetonij... Vale iterum.

36. *Pontico salutem.* Non potest latere diu ueritas... [de eodem Suetonij loco disputatur] Legerat Buzacharinus emendationem nostram... profiteri præsertim apud te. Patauij X Cal. Sext. MCCCCLXXXIIII.

37. *L. Montagnæ.* Litteras tuas accepi, cum quibus et rhythmos et disticha mirifice delectatus sum, proinde singulares tibi gratias ago, nec solus ipse sed plurimi senatores, quos muneris ad me tui participes esse uolui : quamobrem te rogant ut in proposito scribendi ad me de rebus Italiæ perstes... Alioquin ea, quæ de commenticia et uulpina pace scribis, significationi astrorum uidentur esse consona, præsertim quod audio convenire hoc inter omnes qui præscita huius anni publicauerunt. Accedit quod nemo non intelligit quanta sit reipublicæ nostræ grauitas in promittendo, quanta fides et constantia in præstando : contra quam sint diuersa omnia in hostibus. Vident hoc et intelligunt multi, sed partim iure nostro partim deo freti de pace nihil uerentur : indicari quidem et prætendi bellum undique diffiteri non possunt, sed pium esse plus deo fidere quam syderibus... Nec oraculum

tamen Ioachimi falsum erit, qui de uulpino bello et conficta pace præcinat... Hæc scripsi, non quod ipse constitutum aliquid habeam de pace, sed ut plane cognoscas responsurum litteris tuis quoties perferentur : quod uti facias atque cures, unus ego te multorum nomine rogo. Vale. Venetijs. Pridie Cal. Sext. MCCCCLXXXIIII.

38. *L. Montagnæ.* Significaui tibi epistola priore quantum nobis et alijs senatoribus litteræ tuæ uoluptatis afferant. Nunc postremis istis, quas nouissime ad me scripsisti, non delectati modo sumus, uerum etiam in admirationem maximam excellentis ingenij tui et exquisitissimæ doctrinæ conuersi. Accessit et casus quidam sine dubio magnus et admirabilis : quod illa ipsa hora, qua scedulam manu tua vij Idus Augusti scriptam accepi, qua mortem Syxti iiij pontificis futuram anno xiiij principatus eius Augusto mense pronunciabas, litteræ ad Senatum Roma superuenerunt : quibus de repentino eius decessu, qui die fuit post datas a te litteras quarto, cognouimus. Itaque uocati sumus in curiam et chirographum tuum multis ostendimus. Admiratio quanta fuerit omnium qui legerunt, explicare tibi nullo modo possum. Proinde coarguant ipsi se quidam et recognoscant errorem suum, qui tam parum fidei litteris sacris et uaticinijs antiquorum habent. At tu gratias immortali deo age, quoi sanctorum hominum oracula et credere perseueranter et ad ueritatem interpretari contingit. Quamobrem non senatorum iam quorundam, sed senatus uniuersi nomine te rogo, ut (quod pollicitus es) de Pontifice futuro quamprimum scribas quæcunque sentis. Sed uolo ut alium quoque casum non multo minorem priore cognoscas. Legebam in senatu litteras tuas nonnullis ; et quom ad particulam eam uenissem, in qua de Rege Gallorum scribebas, et admonebas e republica fore, uti princeps ille quam coniunctissimus nobis esset, ecce litteræ subito recitantur, quibus rex ille maximus atque christianissimus paternum fœdus nobiscum instaurari et confirmari uoluisse nunciatur. Ego litteras tuas uidendi cupidus semper fui, nunc sum auidissimus, cum quod quæcunque mihi præcinis ex fontibus christianis expressa comperio, tum quod uerissima esse perspicio, tum uero maxime quod nomen tuum in dies magis magisque tolli concelebrarique desydero : id quod tibi apud nos iam contigit. Et certè duo sunt in te præcipua, propter quæ carissimus ciuitati nostræ factus es.

Alterum egregia tua et per omne laudis genus diffusa uirtus. Alterum quod omnia tua studia contulisse uideris et priuatim ad amplitudinem nostram et in commune ad commoda reipublicæ christianæ. Vale Venetijs XVI Cal. Septemb. MCCCCLXXXIIII.

39. *G. M.* [*erulæ*] *Alexandrino salutem.* Gratulor pacem litteris : quom litteris dico, tibi dico. Quid enim aliud litteræ sunt hac ætate quam Merula ? Nunc demum patet orbis. Nunc operta sunt omnia. Nihil impedit quo minus copiæ nobis ut aliarum rerum ita librorum quoque suppetant. Proinde neque mihi suppressas in posterum fore puto bibliothecas Italiæ ad interpretationes philosophiæ, quas auctore deo cœpimus : neque tibi ad historiam quam conscribis. Cæterum festina, quæso, Merula, festina et ad bellum hoc, quod nouissimè profligatum est, etiam contextu rerum abrupto descende. Multa fuere quasi peculiaria in hoc bello, quæ tibi plus comperta sunt, quam mihi; sed duo præcipuè insignia et notatu digna, neque tibi (quemadmodum ipse puto) reticenda. Primum nullam Italiæ regionem eodem tempore uacuam fuisse bello : alterum quam magnæ futuræ uires essent Italia conspirante. Si enim in duas quanquam non satis æquas diuisa partes euidentissime demonstrauit quantum deducta posset, facile supputabitur quantum coniunctæ consentientisque rhobur esset, si contra manum externam uel eundum uel standum foret. Quanquam (ut ingenuè confitear) minimam partem in bello uiribus et consiliis hominum tribuo, maximam deo. Ipsum quoque te memini, quom nobiscum esses, uaticinari solitum fore ut iusticiæ locus esset. Vtinam tecum loqui possem : et cogitata quædam mea super hoc expromere. Ostenderem bellum hoc Ferrariense, nisi sociale potius et Italicum nomines, non humana ratione aliqua, sed consilio et dispensatione dei pœnitus institutum administratum confectum. Itaque neque nos Ferraria potiti sumus : neque tamen Italiæ totius opes contra nos ualuerunt. Neque item is qui bello causam dedisset sine magna mercede condiciones obnoxiæ pacis accepit. Taceo de Pontifice : qui nuncio pacis accepto uix integrum diem superuixit, scilicet ut, qui bellum in Italia non dico peperisset, sed planè fouisset aluissetque, gloriosam nobis et uobis pacem uidere non posset. Discordias in Italia seuerat enutrierat irritauerat et, quom finire potuisset arbiter, quasi restinctum et consopitum bellum instaurauerat. Alienum operibus dei non est, si ad primum rumorem

pacis attonitus præ dolore concidit resolutusque membris est. Accedit ad miraculum quod, quom dissimulator semper et simulator omnium bipedum maximus fuisset quomque nullum ei tempus dissimulandi commodius fuisset uel honestius esse posset, tamen hunc solum dolorem dissimulare non potuit. Liberius fortasse uideor de Pontificis persona loqui, sed licere mihi censeo, partim quod hæc manifesta mundo sunt, partim quod ad exemplum pertinet uindictam diuinam, præcipuè contra personas insignes, non solum proferri ore in uulgus, sed litteris monumentisque commendari memoriæ sempiternæ. Nunc reuertor ad id quod initio epistolæ dicebam. Gratulor pacem litteris, sed litteratis maxime. Nihil enim habet commune philosophia cum classicis, nihil cæteræ liberales artes. Mihi certè quantum pax præsertim ista placeat, etsi teste res non eget, ipsum tamen te semper et testem et iudicem adhibere possum. Reliquom est ut (id quod ego semper et opto et spero) fructum pacis huius aliquem sentire studeas. Si enim tibi Ludouici principis inuictissimi liberalitas tempore tam difficili non defuit : quantum tibi spondere potes et debes tam florente rerum statu, tam festa pace : quoius uidelicet idem ille princeps non studiosus adeo, sed auctor et auspex cum esse tum uideri quoque uoluit. Vale Venetijs XV Cal. Septemb. MCCCCLXXXIIII.

40. *L. Montagnæ*. Scire desyderas quo res Romana statu sit. Enarro breuiter. Certiores facti sumus à Pontificis decessu contentiones intra et extra urbem maiores quam unquam antea protinus excitatas fuisse. Arcem Hieronymi præsidio teneri, patres in duas factiones diuisos esse, in alteram decem, in alteram tredecim secessisse. Trepidari passim Romæ, nemini licere tuto ibi esse, nemini domo progredi. Latrociniis omnia patere, direptionibus agi cuncta propalam et impunè uias a crassatoribus obsideri, et omnino graue malum portendi. Atque hos fructus portendi orbi Christiano pontifice Syxto dignos. Sed hæc prius fuere. Nunc alia rerum facies et diuersus initijs suis exitus. Alioquin nunquam dubitaui deum, qui pacem Italiæ dedisset uiuo et inuito pontifice, passurum uti manes eius (quocunque loco sunt) gloriari possint instauratum morte sua bellum. Itaque factum est, ut patres contentione posita uel compressa coierint et pontificem declarauerint. Ex quo tumultus ille, quemadmodum derepente ualdus incitatusque, ita etiam derepente concidit et elanguit. De

pontificis nomine nundum constat, sed eum esse constat qui Malfetanus archiepiscopus[1] fuerit, renunciatus autem esse dicitur IIII Cal. Septemb. hora circiter duodecima. Vale Venetijs VII Idus Septemb. MCCCCLXXXIIII.

41. *Marsilio Ficino.* Scripsi et alias ad te, Marsili uir doctissime... tessaræ loco habebis. Vale. Venetijs. Pridie Idus Septemb. MCCCCLXXXIIII.

42[2]. *Policiano.* Post discessum tuum Venetijs ad te scripsi numquam... non potest esse non honesta non splendida non magnifica. Vale. *Venetijs Idibus Septembribus MCCCCLXXXIIII.*

43. *Antonio Caluo.* Quom nuper festiuum mihi carmen excidisset, occuristi tu potissimum quoi dicarem... mentionem septimus liber [sc. Æneidis] continet. XV Cal. Octob. MCCCCLXXXIIII.


44. *L. Montagnæ.* Vide quid mihi eueniat : litteras aliorum quo breuiores et rariores sunt, eo uehementius desydero, tuas uero quo longiores et crebriores.... Satiare credis scribendo : Leonarde mi, satisfacis, non satias... Porro uaticinia quæ de Pontifice nouo prædicas, quamquam uaticinia sunt et prudentiores uulgo dicuntur esse qui uatibus fidem non habent, ea tamen est uel auctoritas apud me tua uel opinio de te mea uti credam futura ea breui. Sed et partes inuicem meæ sunt ut, simul aliqua nunciantur quæ pertinere possint ad hoc propositum, uti protinus certior a me fias : id quod ego facturum me polliceor diligenter et copiose quoties usu uenerit. Vale.Venetijs Nonis Octob. MCCCCLXXXIIII.

Liber Epistolarum Secundus Hermolai Barbari

45. *Andreæ Brachacio salutem.* Scripsi ad te superioribus diebus et pollicitus sum fore, ut expectarem te ad aliquot dies : feci hoc libenter et facio. Reliquum est ut uenias quam primum. Comperendinatus sum tua causa : iam neque tergiuersari neque dissimulare diutius possum. Sed inueni tamen ansam cum iis qui me infestant ut expectare te possim ad dies octo. Post hoc tempus nullam mihi uideo reliquam esse stropham. Dilata res est

[1] Giambattista da Saona, qui nomine Innocentius VIII pontificatum iniit.

[2] Extremis exceptis uerbis excussa in Politiani *Epist.* lib. I, tum et manuscripta Bibl. Vatic. Cod. Capp. 235 ff. 44-45.



quantum potuit et plus etiam aliquanto quam uolebas impetrare. Ego plures habeo discipulos quam uolo, et multos reieci quanta maxima potui modestia. Sed sine te solus sum; si abes, auditorium nostrum futurum est in magna frequentia inane. Propterea explica te istinc aliquando. Nam qui sæpe dilationes petunt, deserere uademonium cogitant. Vale Venetijs Nonis Nouemb. MCCCCLXXXIIII.

46.[1] *Hermolai Barbari oratio ad discipulos quom cœpit Aristotelem domi suæ profiteri ἑώθινα MCCCCLXXXIIII Venetijs.*

47. *Baptistæ Guarino*[2] *salutem.* Litteras tuas legi tam libenter quam nihil supra. Diligentiam tuam in libro comperiendo carissimam habui. Dabis eum quom primum poteris Luccae Zeno qui pro senatu nostro istic agit. Scripsi ad eum ut acceptum a te librum diligenter et accurate perferendum ad nos curaret. Cæterum Castello nostro gratias age cumulatissimas, laudabis etiam ob utrunque, tum quod ista liberalitate non degenerem se nec indignum tanto patre filium esse docuit, tum quod amicos paternos hæreditatem suam existimat. Librum exscribi curabimus. Librarium domi habeo, ut nosti. Exscriptus ad dominum incolumis redibit, et (nisi fallor) reum me non aget malæ tractationis, quanquam græcus barbarum apud latinum. Quamobrem Castello de me contrasponde quicquid de homine amicissimo et gratissimo sponderi potest. Nullam fidem frustra dabis, nihil temere recipies, quod ad negotium tuum immo nostrum pertinet. Exspecto rescire, non dico quid constitueris, sed quid constituere potueris. Scio abesse principem; fortasse non impetrabis. Sed certè ea res est ut uel tu uel nos impetrare debeamus. Quicquid ad me de hoc uel scripsisti uel in posterum scribes, hoc et silentio à me tractabitur et fideliter et fortasse non imprudenter. Vale Venetijs VII Cal. Decem. MCCCCLXXXIIII.

48. *Georgio Merulæ Alexandrino.* Quanquam non dubito quin Georgius Valla tuus immo noster oblatam a senatu conditionem aspernaturus non sit, litteræ tamen eius aliquanto tardiores

[1] Vide Politiani Epist. lib. XII fin., ubi titulo aliquanto ampliore sed sine die excussa legitur. Deest in codice uersus græcus homericus; contra in fine orationis *laborum* ut in codice, non *librorum* ut apud Politianum, legendum.

[2] Cuius Carmen ad HB. in libro exstat rarissimo : Baptistæ Guarini *diuinum poema et bucolicum carmen,* Mutinibus impresso MCCCCLXXXXVI, f. III.

uidentur esse quam uolebamus et sperabamus : et certè non possum non esse solicitus, cum quod hominem mihi commendatissimum fecisti, tum quod mea fides agitur. Pollicitus enim sum principibus uenturum eum simulatque constituta merces esset, ea porro quemadmodum scripsimus CL num., quanta ferè nemini decreta. Reliquom est ut fidem, quam de ipso patribus dedi, præstem. Singulis et diebus et horis appellor, ut decoquendum mihi sit non dico si non uenerit omnino, sed si uenire distulerit. Dixi fidem meam agi. Sed et tua quoque, Merula, fides agitur. Dependendum tibi est : quod mihi tu pro illo spopondisti. At nonne ipsius quoque Georgii Vallæ fides agitur ? Quoius litteræ in senatu non adeo recitatæ sed exceptæ sunt : quibus affirmauit se uenturum esse, quom primum amplissimi ordinis decreto salarium constitutum rescisset. Sed quid tam multa ? quasi plane uerear ut uir tantis opibus ingenii munitus quam tu prædicas, tanta et uaria doctrina præditus, consulere rationibus suis nesciat. Fortasse mouebit hominem, quod litteræ ad eum publicæ non uenerunt. Sed tu docebis eum propterea litteras non uenisse, quod moris nostri non esset singrapham publicam in hoc genere uel senatusconsultum uulgari, priusquam is qui conductus esset exploratissimam fecisset uoluntatem suam. Et certè si G. V. tot litteris amicorum non putat habendam esse fidem, non grauitati nostræ sed suæ detrahit. Nec enim uerum quod non creditur, leuiter quoque scribitur : sed quod uere scribitur, leuiter non creditur. Vide quam libere cum Georgiis duobus agam. Sed libertas hæc pro iocum. Quanquam si tam liber sum in ioco, qualem speres in seriis ? Aut si commotus esse uideor etiam dum speratur uenturus, quid mihi non licebit spe derepto ? Quod quidem si (quod abominor) euenerit, mihi quidem certissimum est, ut dixi, decoquere. Sed faxo medius fidius, ne uobis quoque in foro uersari liceat. Sed iocari tecum ultra non uacat. Cæterum interesse mea et tua puto, ut litteris meis antequam aliorum intelligas profiteri me, sed domi, Aristotelem : hoc est ueram et solidam non umbratilem et fucatam philosophiam cœpisse. Ac primum quidem amicis eam duobus aut summum tribus interpretari cogitabamus ; sed re (inuitissimo me) uulgata tantus mox concursus undique factus est, ut, nisi quod communi bono seruiendum est etiam per incommoda, ferè pœnituerit cœpisse : ne quis ambitiose factum interpretari posset. Itaque stetimus in sen-

tentia : quæ plus aliis prodesset quam nobis placeret. Auspicati sumus ab incunabulis Dialectices : quæ omnia, non ut sordidi philosophi per saltus et uelicatim enarraturi sumus, sed prememus institutum et persequemur ordine usque ad umbilicum, expositoribus reiectis omnibus præter græcos, quanquam nullum diem abire pacior, in quo præstigias et errores illorum euidentissimè non coarguam. Facio id libenter et ex industria, tum quod utranque rationem philosophandi cognoscens iudicio non odio uideor alteram messere [?], tum quod litteris malis in comparationem bonarum adhibitis facile bonas assero : proinde spero fore ut recta philosophiæ studia breui caput exerant, non mea sane causa uel opera, sed ardenti quodam et incredibili desyderio conuentorum. Vale Venetijs Idibus Decemb. MCCCCLXXXIIII.

49. *Nicolo Theatino philosopho.* Scito me Aristotelem cœpisse profiteri magna frequentia conuentorum et incredibili desyderio litterarum bonarum, sed (ut semper assolet) non sine detractoribus. Alii factum ambitione putant, alii sordidum et abiectum interpretantur : et quanquam ambitum cauillantibus respondeant pro me qui sordidum munus contendunt inuicemque iis illi, non tamen satis hoc esse iudico, nisi et memet ipse diluam atque purgem. Ambitioni datum uolunt. At ego nihil unquam feci molestius. Cogitaueram quidem philosophiæ libros amicis summum tribus interpretari temporibus succissiuis incanditè [?] citra pompam in ioco per solitudinem : id quod ferè biennium enixissimè rogantibus sine iniuria officii mei differre ultra non poteram. Res nolente me atque adeo reluctante patefacta est. Studium incredibile plurimorum exarsit : quibus ut admitterentur instantibus et, ut inquit ille [1], conuitio flagitantibus resisti nullo modo potuit; et hercule res eo peruenerat, ut, nisi consilum mutassem et manus dedissem, inimicitias ultro maximas inuenturus essem. Itaque satis constat ex hoc labore nostro me non laudem uel adeo populare nomen quæsisse, sed simultates et ignominiam uitasse. Quid si uidebam quidem futuros, qui me ambitionis notarent, num propterea desistendum erat ab eo munere, quod et per se honestum esset et multis utile futurum uideretur? Et certè ambitiosus tum demum fuissem, si falsæ quorundam opinionis cauendæ gratia communem utilitatem abiciendam et elidendam

[1] V. Cic. epist. ad Quint. frat. II, IX, [1] (Teubner).

putassem, ut hominum improborum metu studia bonorum proderem et euerterem. Iam si fatear ingenuè (quod fateri iure non possum) laborasse me hoc ambitu et consilium meum fuisse ut laboribus et uigiliis meis maximis nonnullos mihi laudicines et aurarios contraherem, eròne in alia causa quam sunt ii, qui per suas quique artes euehi et humō tolli satagunt ? Proinde quæro ab iis qui factum meum ambitionis arguunt : aut hoc inutile futurum honoribus meis uidi aut utile. Si inutile, ambitiosus non sum : si utile, dupliciter laudandus quod quidem utilitate publica et rationes meas coniunxi. At enim ex dignitate mea non erat habere ludum in ciuitate, in qua et patritius et senator essem. Primum interest quoius rei ludum aperuerim : deinde nec aperui. Nisi quis et Accademiam Platonis et Porticum Stoicorum et Peripaton Aristotelis ludum fuisse cogitet. Neque uero sordidum munus est profiteri philosophiam : tum quod ubi quæstus non est, sordes esse non possunt; tum quod hoc docendi genere non Platones et Aristoteles et Demetrii Phalerei, sed Marcus quoque Tul. tanta uir et gloria et fortuna mirifice delectatus est. Alioquin si patritiis in hac urbe plurimis cum mercede publica profiteri sordidum nunquam fuit, quis est tam iniquus alieni facti iudex, qui mihi sine quæstu profitenti sordidum esse censeat? Quamobrem quom ex hoc meo facto aliis honores captasse aliis neglexisse uidear, in maximam spem adducor ut credam medium quendam tenorem et rationem à me seruatam esse, quam utrique uel re uera non uiderint uel saltem uidere dissimulauerint. Ita fit Vt munus istud neque ambitiosum mihi neque sordidum, sed et simplex et honestum fuisse iudicem : id quod et tibi probatum iri non dubito. Vale Venetiis XVI Cal. Ian. MCCCCLXXXIIII[1].

50. *G. Merulæ Alexandrino Salutem.* Litteras Q. F. nostri legimus uoluptate magna, nec desyderio minore hominem expectamus. Hæreat ergo uiæ quom primum licebit. Conditio ei oblata non dico non pœnitenda sed honestissima, et omnino ipsi fœliciter cecidisse uideo, et plus quam posses existimara. Gratulor atque gaudeo. Infensum habet me P. quasi unus ego fuerim potissimus, qui ei et profitendi munus interdicendum curassem et successorem dari laborauissem. Ego inimicitias eius contemno, non ut hominis sed ut eius qui sine causa de me queratur. Vniuersa ciuitas eum pepulit. Solus tantum ab eo incessor, et

[1] More Veneto.

hercule contra eum molitus nihil sum præter quam quod rogatus a senatu qualem esse Q. F. putarem respondi (quod sentiebam) et doctum et probum et qui mihi post M. placeret. Si hoc est lædere P., læsi. Sed de homine tibi et mihi parum amico nimis fortasse multa. Alioquin est quod ignoscam dolori eius. Nam et canes icti lapidem sæpe mordent. At lapis nihil sentit. Alioquin homo bonus calcitrat in aculeum. Sed cupio tibi notum esse consilium quoddam meum in G. F.[1] nostro, de quo (ut uerè dicam) plus solicitus sum quam ipse de se. Homo alias doctus et elegantis ingenii de se raro unquam cogitat, uel quod ambitiosus non est uel quod rationes suas omnes in amicorum fide collocatas habet. Ita securus ipse securos esse non patitur qui se amant. Sed uenio ad rem. Cupio uehementer ut in aula ista uestra honestus aliquis homini locus quæratur. Fieri uolo certior a te ecquid sperari possit exitus consilii huius, ita ut, si sperandum esset, utrunque perscribas ad me, tam quæ ratio ineunda tibi uideatur quam quid præstare possis apud istos quod e dignitate tua sit. Quia uero Galeatius non dico segnis est, sed certè parum diligens in re sua, præter quam in litteris et uirtute. Cupio scribas ad eum uersus aliquos in hunc sensum : Iacere semper nolit, habendam esse rationem aliquando rerum et commodorum suorum ; accepisse te eum nimis securum esse ; cogitandum ei non quemadmodum planè uiuat sed quemadmodum eleganter et honeste ; philosophandum ei esse quidem, sed ita ut Peripateticus fuisse non Stoicus uideatur ; sperare te si possit hinc reuelli, futurum ut uel in aula Ducis[2] uel in urbe quoquomodo locus ei pro dignitate prospici et parari possit ; in hoc operam ei te tuam omnem et studium polliceri. Litteras in hanc sententiam à te scribendas ipse reddam. Multum tibi tribuit Galeatius. Excitandus est si non re, saltem spe. Solet enim, ut ferrum attritu, sic agitata mens et excita splendescere. Quanquam non tacebo tibi quid fretus humanitate tua commentus sum : finxi cum G. mentionem in litteris tuis ad me de ipso fieri ; si forte uellet istuc ad uos abire, operam daturum te pro uiribus uti locus ei perquam honestus in ciuitate uostra contingeret., Visum est mihi plenum officii mendatium, sed officium. Quanta sit eius doctrina, qui mores, quæ uita, non temere compertius

[1] **Galeazzo Facino ut epistola indicari uidetur.**

[2] **Mediolanensis.**

quoiquam est quam tibi. Erunt istic fortasse de principibus optimatibùsue qui liberis præceptorem quærant. Si conditio arriserit, occupabitur à Facino uel in hortatu tuo uel meo. Nec deest homini conditio, sed locuples conditio; nec arripitur quæcunque potest arripi, nec mihi placet quæcunque placet aliis. Non omnibus omnia conueniunt : quanquam conditio istic nulla ferè potest esse non uberrima, quod tecum homine doctissimo et utriusque linguæ principe uersaturus est. Itaque si me audiet (audiet autem uelit nolit), conditio ei nulla gracilis futura est in ea urbe, in qua sit M[erula]. Vale Venetiis[1].

51. *Augusto salutem.* Litteris tuis delectatus sum super quam credi posset, eruditis hercule et elegantibus siue (ut Catullus meus immo tuus inquit) *doctis Iuppiter et laboriosis*.... Non uideo quid sperare possim cum Minio : etenim in sententia sua perstat incommobilis et omnino comites imperitos quærit, non peritos : quod quidem ei feliciter euenisse cogito. Nihil enim poterat uel modestius optare uel facilius consequi. Vale. Venetijs VII Cal. Febr. MCCCCLXXXIIII[2].

52. *Ioanni Antonio Pantheo.* Rogatus quid sentirem in hoc uocabulo *Prouisor exercitus*.... Sabellicum meum saluta et ad institutam egregiam historiam hortare meis uerbis[3]. Non habet Sabellicus multos qui se plus ament quam Hermolaus. Vale. Venetijs V Cal. Febr. MCCCCLXXXIIII[4].

53. *Pontico salutem.* Ergo silentium diuturnum tuum mecum à te reposui pleno cumulo ipse diutius silendo ? Ecquid ignoras me nec officio litterarum nec taciturnitate uinci posse, cum loquacibus blatero sum et garrulus, Harpocrates cum silentibus ? Alioquin si sunt qui flendum esse cum flentibus præcipiunt, quor tacendum non sit cum tacentibus ? Nisi uero putas tam parum mihi negotiorum esse, tantum mihi uacare à litteris a spectaculis a præfectura copiarum immo uero culinarum, ut scribere non scribentibus possim. Scilicet hoc æquum erat ? ut occupatissimus operam securo darem. Egimus excubias peruigilia ieiunia, te præsaturo te sfertente. Nos eodem tempore et hospitibus copias

[1] Epistola iisdem fere diebus dari existimandast quam prior, i. e. mense Ianuario 1485.

[2] More Veneto.

[3] Foscarini *Della letteratura veneziana* (Venezia 1854), pp. 250 ssq.

[4] More Veneto.

et regulis diurna prouidebamus, et ludis impendia præbebamus[1]; nec a præscripto nostro docendi dictandi philosophandi recedebamus. Et tamen etiannum sunt qui litteras meas ad se parum frequentes querantur? Sed mittamus hæc. Satis enim lusimus, quanquam mihi licet ludere in epistola prolixius, qui ludis præfectus in plena spectaculorum urbe spectaculis non interfui, quom mihi locus esset in orchestra uel honestissimus. Quæras quid illis horis agerem, quibus uniuersa ciuitas in theatrum attonita se receperat. Expectas ut dicam : scribebam commentabar legebam. Non hoc dico, sed uagabar per urbem, uno uel altero comite contentus, modo lintre modo pedibus, idque quom uacaret a muneribus cœnaticis. Amabam in ciuitate populosissima solitudinem admirabilem et silentium pœnè uastum religiosumque, præsertim in regione quæ diuersissima à ludis esset. Mirabantur alij multitudinem hominum qui confluxerant ad spectandum : ego solitudinem. Tu si affuisses et sententiam sequi tertiam uoluisses, notare potuisses aliud, hoc est, nihil unquam eodem tempore una et eadem urbe uel inanius fuisse uel frequentius. In summa nemo nobis occurit, qui me uideret solum et extra cuneum. Ita fœlicissimè mihi cecidit. Nam et spectandi continuos dies aliquot molestia caruimus, et pericula detestantium seueritatem nostram effugimus ; omnino linguas et oculos eorum uitauimus qui nobis inuidiam ex interpretatione mala facere potuissent. Sed uenio ad rem : binas à te litteras accepi..... Tu uero benè spera et uale. Venetijs IIII Cal. Mart. MCCCCLXXXIIII[2].

54. *Illustri uiro Petro Gudueræ salutem*. Magna res a magnis uel cognosci..... Mitto ad te Themistium, unam ex antiquis meis lucubrationibus in Latinum e Græco uerti cœptam quom Neapoli essemus, sed iam IIII et amplius annos editam. Hic legendus atque adeo corrigendus tibi est, nec, quia iam exierit, satis esse puto quamobrem ei parcas : nisi uero potius ideo quod exierit acius et notandum et castigandum esse censeas. Vale. Venetijs I Idus April. MCCCCLXXXV.

55[3]. *Ioanni Pico Mirandulano*. Non possum tibi non uideri

[1] De his festis uide *Malipiero* p. 296.

[2] More Veneto.

[3] Vide Polit *Epist.* lib. IX ubi excussa legitur. Versus Græcus in codice desideratur : contra quæ tum de Ficino dicuntur apud Politianum desunt. Ibi etiam Pici responsum legeres, sicut ne tum quidem disputatio cecidit. u. III, 2. Et excerpta quædam inter Pici ep istolas.

plane barbarus..... Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. *Iudicium tuum de Platone Florentino scire cupiebam sed quærere quid sentires numquam sum ausus pro pudore. Salutem homini dicito meis uerbis.* Quod uero me ad Platonis libros et placita hortaris....

56. *Heliæ Iudæo.* Ex litteris tuis quæ mihi profecto gratissimæ fuerunt intellexi quid sentires de figura Galeni quarta syllogismorum..... [de ea disputatur]... Nec enim arbitror dici posse quartam figuram et syllogismos refractos, hoc est (ut quom [sic] plebe philosophorum loquamur) indirectos, idem esse : aut si sunt idem, quamobrem hoc nemo, non Galenus ipse pro se, non Græci, non Latini, non Arabes, non denique tuus ille grauis et diuinus interpres Auerrois prædictum aut testatum reliquit ?. . . Sunt enim inuersæ omnes et fere dixerim luxatæ. Vale. Venetijs IIII Nonas Maij MCCCCLXXXV. Quom in eo essem ut obsignarem hanc epistolam, nonnulla mihi subito nata sunt quæ silentio præterire non statui..... alioquin et tu quoque occupatissimus esse soles. Vale tertio.

57. *Iacobo Antiquario.* Cogitaui sæpe tibi gratias agere quoius opera factum esset ut G. Vallæ facundia moribus doctrina suauitate frueremur. Sed occupationibus meis non minus magnis quam multis et uariis impeditus officium hoc non dico deserui, sed certè plus æquo distuli. Nunc autem quom litteras ad Georgium tuas legissem, appellatus sum et admonitus huius æris alieni, quod primo quoque tempore tibi representandum a me fuerat. Proinde tibi gratias nec solus ipse testor, quo uel hortante uel potius auctore G. Valla uir procul dubio doctissimus et optimus profitetur in ciuitate nostra. Quod uero scribis nonnullas istic uoces contra existimationem eius iactari, nihil miror ; cum quod nemo tam doctus est, quin aliquoi indoctus esse uideatur, tum quod uirtus emulos undecunque sibi corrogat. Alioquin rumor omnis non istic, sed apud nos est ortus uno vel altero (quod scire potuimus) auctore. Sed Georgius et quod eruditissimus uir est, facilè superabit inuidiam uel retundet, et quod philosophus turbam imperitorum fortiter et contemnit et ridet. Ego quoque ei auctor sum ut iniuriam paucorum æquissimo ferat animo, quandoquidem et principibus et proceribus placet. Tu quoque illum rogo te per litteras confirmes et subleues, quanquam in re tantilla consolatore non indiget. Cæterum ut epistola unde cœpit

[1] Pici magister. u. Renan *Averroes et l'Averroisme,* p. 314.

deponat, plurimum se tibi debere sentiunt uiri boni et docti, quoius uel auspicio uel consilio Georgius et ingenia nostrorum alit et mores componit. Vale Venetijs XIII Cal. Iun. MCCCCLXXXV.

58[1]. *Reu. Patri Arnoldo.* Plurimum tibi debeo.... Liber *de Viris Illustribus* quem efflagitas non habetur hic impressus quod equidem sciam : simul comparauerit, tibi emetur..... indicaueris. Vale iterum. Venetijs Kal. Iun. MCCCCLXXXV.

59. *Pontico salutem.* Non uideres litteras meas, Pontice, nisi æger ipse lecto decumberem..... Commilitones nostri[2], uacationem et commeatum ad breue tempus impetrauerunt, nec labore multo sanè, quod et caniculam imminentem et pestilentiam germinantem timebam. Libros *Analiticorum Priorum* absoluimus, *Posteriora* et *Topica* per autumnum legemus : hæc enim sola restant ex uniuersa institutione dialectica. Vale Venetijs IIII Idus Iun. MCCCCLXXXV.

60. *Marco Lusio salutem.* Alias ad te scripsi, Marce Lusi, ut uel Hippocratem Hieronymo[3] remitteres uel aureis eum tibi duobus et dimidio coemeres. Tu uero neque librum restituis neque pecuniam rescribis. Interim me dominus codicis et appellitat et infestat, nec excusationem ullam aut colorem admittit. Alioquin nec ipse tergiuersari scio. Tu si me amas, libera me protinus hac teredine. Noli committere ut uel Hieronymus me uel ego te coarguam impudentiæ. Subiratus fortasse tibi uideor et commotus, et hercule non sum ; sed illud ingenue fatebor, tam importuna tam frequens expostulatio Hieronymi solicitudinem et ruborem mihi non modicum peperit. Quid potest homini modesto uerecundius accidere, quam quoiusuis expostulatio uel iniusta ? Quamobrem rogo te, mi Marce, immo uero testor et impero (si pateris), ut quamprimum constituas utrum optes, officiasque uti ad nos perquam celeriter uel liber sine nummis uel nummi sine libro proficiscantur. Nec enim aliter uel tibi mecum uel mihi cum Hieronymo reditus in gratiam patebit. Ecquid iocus tibi uidetur esse, ut et Hieronymus immerentem me criminetur, et tu etiam

[1] *Epist. Cl. Vir.* (Coloniæ 1569) excussa legitur epistola, exceptis uerbis illis de Cornelij libro : nec mirum, Cornelij enim editio prima Venetijs iam sex annis ante in lucem prodierat.

[2] Scilicet discipuli.

[3] *I. c.* Donato.

benemeritum contemnas? Ita utrisque pateam alteri conuicio alteri ludibrio. Expectas fortasse ut liber ille rancidus et ambustus qui est apud me de tuis, Ægyptius an Hebraicus non intelligo, permutari cum Hippocrate possit? Falleris, mi Marce. Quis enim ut est tritum illud ex Homero natum...[1] Curabis ergo, Marce, uti ne momentum quidem ultra differas, quo minus ilico uel codicem uel argentum exhibeas. Tempus uero non aliter tibi præscribo, quam ut intelligas nullam tibi moram præstari posse. Omnino nihil tibi neque causæ neque temporis excipio. Iterum dicam, non sum obiratus tibi, sed utique credi uellem. Vale Venetijs Idibus Ian. MCCCCLXXXV[2].

61[3]. *Io Baptistæ Zanzilio.* Venit ad te consangineus mihi puer, Ludouici Vendramini auunculi mei filius. Hic tibi erudiendus est..... Salarium tibi *aureorum uiginti* constitutum Zenoteles[4] ad te pridem scripsit. Vale Pridie Idus Febr. MCCCCLXXXVI[5].

62.[6] *Reu. Patri Arnoldo.* Non possum non uehementer admirari tam ardentem et concitatum amorem... et cæteros qui me diligunt parum merentem. Vale Venetijs Idibus Febr. MCCCCLXXXVI[5].

63. *Iudocho Biselio.* O mirabilem animorum uim quo plus immenso.... Gratias tamen ago tibi plurimas et maximas qui stellarum opus propensione voluntatis adiuuas... Singrapham tuam accepi... De Arnoldo[7] nihil dico, nam ad eum quoque scripsimus. Illud non silebitur : aliquanto plus hominem diligo quam fecissem, quia diligi te ab eo tam studiose religioseque perspicio. Iterum Vale. Venetijs Idibus Febr. MCCCCLXXXVI.[8]

64. *G*[*eorgio*] *M*[*erulæ*] *Alexandrino.* Salue, Merula. Tuus Mediolanum reditus cum propter alia multa tum propter auctum a Principe salarium uidetur sanè ut scribis auspicatissimus fuisse.

[1] Verba Græca ut solet desiderantur : tamen χρύσεα χαλκείων [Il-VI 236] fuisse constat.

[2] More Veneto.

[3] *Epist. Cl. Vir.* Coloniæ 1569, ubi duobis illis uerbis exceptis excussa legitur.

[4] Hermolai scriba ut supra diximus.

[5] Non more Veneto, sed uerus annus.

[6] *Epist. Cl. Vir.* excussa legitur.

[7] V. epist. prior.

[8] Non more Veneto sed uerus annus.

Ego uero non tibi demum gratulor, quoius doctrinam nulla equare potest accessio nummaria, sed litteris quibus Princeps iste generosissimus in dies magis magisque fauet. Eius unius hominis auctoritas, non solum per se sed eo quoque quod alios ad exemplum excitaturus est, magno (mihi crede) adiumento erit ad recta studia subleuanda. Viuat ergo diu hoc habitu mentis et hac animi inductione Princeps Italiæ nobilissimus, sciatque in uno te colendo se Musas ipsas et litteras colere. Historiam tibi subcrescere laudatoresque non parum multos esse gaudes. Illud uelim te scire, haud multo minorem apud nos historiæ tuæ famam quam istic commendationem uersari. Scripsit[1] historiam Venetam ab urbe condita Sabellicus quem perbenè nosti, duobus et xxx uoluminibus, quindecim nec plurium plane mensium spatio. Adieci hoc non uti tu quoque festinares editionis ambitu, sed uti maturandum esse tibi cognosceres in tanta expectatione studiosorum hominum : quanquam (ut uerum fatear) Sabellicus non ipse, probus alioquin et supra quam dici possit modestus, in causa esse uideri potest, sed importunitas flagitantium et historiam patriam aliquando latine scriptam uidere auentium. Cæterum de toto opere quid iudicem nundum mihi proferre licet, quandoquidem neque totum perlegi. Sed profitebor tamen illud : laborem hunc unius hominis Romani eo mihi haud mediocriter gratum accidisse, quod uideo forè ut, sub primam huius emissionem historiæ, chronicis et annalibus ineptissimis tenebræ sempiternæ cooriantur. Vtrum porro sit assecutus hoc opere Sabellicus quæcunque uel ciuitatis uel historiæ postulat auctoritas, et utrum ita scripserit ut hæc eadem scribere uolentibus aditum percluserit, simul extimaro perscribam ad te fideliter ac liberrimè. Omnino dubium non est Senatum in hominem peregrinum nec ante sibi cognitum, quam historia iam composita, liberalem appariturum et litterarum amore et dignitatis suæ contemplatione. Gratularis mihi, tam tuo quam Chalci nomine, legationem in Germanias, cum honoris mei causa, tum quod futurum speratis ut homo barbarus e barbaria aliquid eruam, quod rem Latinam iuuare possit. Quod quidem si casurum est, iam nullas Alpes, nullos æstus, nullas niues, nullas difficultates Noricas, nullas in Rheticis et Vindelicis insidias, nulla gentium efferarum et popu-

[1] Scripsit.,. auentium : Hæc uerba citata Foscarini *op. cit.* Vide etiam Zeno *Vit. M. A. Sabellico*, p. 40.

lorum immanium latrocinia pertimesco. Penetrabimus et in Belgicam Gesoriacum[1], usque per Menapios et extremos hominum Morinos. Vt intelligas me illic quoque supellectilem tuam ornare posse beluatis Gallicæ texturæ stragulis : perinde quam sum hic facturus in circulatis operis Syrij tapetiis, a te primo per litteras deinde per Ponticum rogatus : Damascena quoque dulciaria diligenter et fide qua debeo comparanda tibi curabimus. Vale. Marcum Antonium oratorem prudentissimum et senatorem doctissimum saluere mihi iube. Incommodum Antiquarii nihil minus merentis ita planè doleo, ut nihil addi possit. Illud me tantisper solatur, quod adduci non possum ut credam opem homini tam probo tam pio tam docto uel diuinitus aliquam uel humanitus defuturam esse. Cum Chalco integerrimo et clarissimo uiro in gratia summa positum nisi me commendatione et opera tua seruaueris, nihil tibi debebo, qui tibi modo plurimum debeo. Vale iterum. Venetijs Cal. Mai. XI [!] MCCCCLXXXVI.

Liber Epistolarum Hermolai Barbari Secundus finit, Tertius incipit ad

65. [?] Accepi litteras tuas, optime pontificum, quibus mihi legationem ad Cæsares in Germanias gratulari dignatus es.... Reliquum est ut me precibus tuis (erubesco postulare, sed postulabo) quottidianis adiuues et sustentes omni quidem tempore, sed potissimum quoties rem divinam feceris. Vale. Venetijs Idibus Mai. MCCCCLXXXVI.

66. *Io. Pico Mirandulano.* At tu Minerua fellem quid prouocas ? Sed o rem ridiculam ? defendet homo barbarus eloquentiam[2], tu uir eloquens infantiam... Sollicitus sum ne qua offendam, cum quod nimis amo, tum quod in ipso calore disputandi multa plerumque parum consyderata nobis excidunt : quod utinam mihi ne contigerit ! Ipsa tanti non est eloquentia quam defendo. Vale Venetijs.

67[3]. *Io Pico Mirandulano.* Expectabam quidem istinc usuras aliquas.....

[1] Quo nomine (*Boulogne* proprio) H. *Bruges* significat.

[2] V. Epist. seq.

[3] Hanc epistolam ut uidetur priori adiunxit Hermolaus ijsdemque fere diebus conscripsit. Manuscripta et in Bibl. Vatic. exstat (Cod. Capp. 235 ff 2-7). Excussa inter Politiani Epistolas, tum inter Pici

[*Libri Quarti tres epistolæ ultimæ*].

68. [?] Pridie Calendas Nouembris redditæ mihi litteræ tuæ sunt, præsul optime, quibus mihi pie gratularis et equestre decus et reditum, sed multo magis reditum... seruus quoque domino. Vale. Venetijs Nonis Nouem. MCCCCLXXXVI.

69. [*Roberto Saluiato*] [1]. Litteras tuas voluptate magna lego semper quidem, sed quas ad me postremas dedisti maxima, non tam quod mihi reditum incolumen et decus equestre gratularis quam quod uideo amicitiam te semel initam constanter et sanctè colere. Quoius quidem rei nomine quantum debere tibi me sentiam uix est ut assequi cogitando sufficiam, nedum ut explicare possim dicendo. Illud mirifice me delectat, quod Picum nostrum, eruditionis tantæ uirum quantum tam tenera ætas nec capere nec ferre potest, incredibili studio prosequeris, adeo ut quemadmodum ille maior ferè quam sit effici non potest, ita tu hominem plus amare quam facis nequeas. Quod uero septingentas eum quæstiones proposuisse scribis [2], ad quas in publico doctorum hominum consensu respondere paratus sit, non quidem Academicorum Peripateticorumue sed Gorgiæ Leontini præcellentis doctrina uiri exemplo, ut non miror ita certè laudo..... Quoius luculentissimam, ut tu iure præsagaris, orationem si miseris ad nos, quom primum ad te peruenerit, accessio magna fiet et amoris et pietatis in me tuae. Vale : Marsilium Politianum et cæteros istic litterarum sacris initiatos, immo alumnos et principes litterarum saluta meo nomine. Venetijs IIII Nonas Mart. MCCCCLXXXVII.

70. [*Episcopo Patauino*] [3]. Propositum tuum sanctum et plenum religionis... ut istic indoles ad frugem perduci possit utque sub imperio et disciplina tua et bonus et doctus fiat. Vale, pontifex humanissime. Venetijs XII Cal. Apr. MCCCCLXXXVII.

aliasque, ut notumst; tamen in codice nonnulla insunt quæ libros legens ne exstitisse quidem suspiceris. Nec mirum: fastidium sane multa et inania uerba iam pridem mouerunt.

[1] Nomen epistolæ in Bibl. Vatic. Cod. Capp. 235 f. 67 inscribitur

[2] Celeberrima disputatio. V. Reumont *Lorenzo de Medici*, II, p. 84.

[3] Nomen in *Epist. Cl. Viror* (Coloniæ 1569), p. 129, ubi Epistola excussa legitur, præmissum.

Liber Quintus Epistolarum Hermolai Barbari incipit

71. *Anselmo Meie salutem.* Actum est biennium ex quo beniuolentiæ nostræ... Dices: consilium et speciosa verba das ægroto sanus. At ego sanus non sum : octuaginta dies plus quam aduersa ualitudine domi lectoque detineor.... Vale. Cometium quom uideris amplectere meo nomine. Venetijs V Nonas Octo. MCCCCLXXXVII.

72. *Georgio Merulæ Alexandrino.* Salue Georgi, amantissime. Non parum multæ rationes sunt, Merula doctissime, propter quas legatio Mediolanensis, quæ mihi teste deo nec quærenti nec cogitanti maximo patrum consensu et omnibus ferè punctis optigit, carissima in primis esse debeat. Nonne ad eos principes legatus uenio, qui cum republica nostra non minus coniuncti sunt, quam nos uobiscum : deinde ad eos, quibus familia nostra non nudius tertius aut quartus sed pridem annis iam inde retro multis priuatim debere cœpit, quantum litteris uidelicet explicari nullo modo potest ? Ecquid alia gens alia domus est Italia tota præter nostram, ex qua tres continua serie, auus pater filius, ab eodem senatu ad eosdem principes hoc nomine profecti fuerint ? Biennium est et amplius, ex quo apud uos cum patre fui. Quis unquam aut hilarius aut honorificentius haberi potuit quam ego sum exceptus ? Studium Principis in me ornando amandoque secuti proceres et omnis demum ordo.... Ergo quanquam ægrotatione longa fractus et me ab graui distillationis atque tabis malo etiamnum recolligens, initurum me legationem professus sum. Vereris fortasse ne magistratus is, qui nuper a senatu nobis oblatus est, ad continentem et bella præfecturæ — nisi tu græcè malis appellare polemarchos (ita enim Athenienses uocabant) — a legatione auertat animum. Dignitas certe magna et eo planè maior, quod hac qua ipse sum ætate consecutus eam nemo fertur. Sed ut magistratum tamen ipsum relinquam et legationem semel aditam præferre pergam, et causæ quas enumeraui faciunt et ut omnes intelligant me non tam privatæ quam publicæ uoluntatis rationem habere uoluisse. Quæ de ocio Frugosii Baptistæ litterario scripsisti magnam mihi uoluptatem attulerunt. Quis putasset ad istam Appennini solitudinem tam frequentes adesse musas ? homini tam præclaro totum obsecro me

trade. Liberis præceptorem quæris. Boniphatius conditionem nundum accipit, Frontonius litteras græcas minus multas habet : id quod Frugosius (nisi fallor) ante omnia desyderat. Ponticus[1] ex Alexandria Ægyptoque reuersus salutem tibi plurimam dicit. Aurelius[2], ut coniectura colligis, ex scribarum decuria non sorte sed optione mihi contigit. Gaudeo placere tibi qui mihi quoque placeant. Basilium iuuenem eruditum et probum mihi commendas : nullis ei rebus deero : modo in quas opera ei mea usui esse possit intelligam. Ambrosium Gabrielem Antiquarium poetam pilotum [?] meis uerbis salutari a te uolo. Vale : Venetijs XII Cal. Febr. MCCCCLXXXVII[3].

73. [*Bernardo Bembo* (?)]. Salue, uir clarissime. Nihil mihi minus inusitatum est et minus insolens, Bernarde uir amplissime..... sentire prædicareque non desinant. Vale. Venetijs Cal. Febr. MCCCCLXXXVII[3].

74[4]. *Lippo Brandulino*. Cognitus mihi pridem fama Lippus, extemporalis in homine facundia, oratione tam prosa quam uersu clarus..... Nam et tu me de Themistio nouisti, utinam dij boni tam fœliciter ut tu falli potueris : sed ignosce tamen. Adolescens atque adeo puer ea cœpi uertere, quom tu me Neapoli desidentem uidisti. Quamquam Bembus noster humanitatis flos, politiarum pater.... Facile dissipari consueuerunt. Vale. Venetijs Cal Febr. MCCCCLXXXVII[5].

75. *Hieronymo Donato s.* Saluus sis, Hieronyme dulcissime. Litteras tuas uoluptate legi quanta soleo. Scio te legationis huius meæ fructum maiorem sentire quam ipse sentiam. Nam quom impensissime nos diligas, in te mihi et in me tibi gaudeas oportet. Otium porro mihi grande superest, non dico ad scribendum et respondendum tibi (nunquam enim non ociosissimus sum quoties ad te scribo), sed ad cæpta mihi interpretationum mearum studia, ut nihil mihi in hac legatione iucundius acciderit, quam quod lectioni quantunuis multiplici ferè tota uacat. Credo Dioscoridis et Aristotelis manes impetrauisse mihi legationem ut aliquando absolui possent. Quanuis enim spes eos

[1] I. e. Faccinus.

[2] I. e. Ponticus.

[3] More Veneto.

[4] Excussa in *Epist. Cl. Vir.* Coloniæ 1569.

[5] More Veneto.

de me sua fallat, quia tamen ita iacent, ita sunt intermortui ut deteriorem experiri statum nequeant, assertorem me requirunt, identidem illud iactantes : quicquid erit, melius quam non erit. Quod autem tu epistolas Areopagitæ latinas feceris et cætera eius uiri opuscula conuertere sis ingressus, et probo et laudo téque ad id currentem mirifice cohortor. Haud scio nunquid hac in urbe codex Dionysij græcus habeatur. Curabo rescire. Interim tibi non deero si iusseris. Vale; omnes nostros saluta. Mediolani Idibus Apr. MCCCCLXXXVIII.

76. *Marco* [*Dandulo*]. Saluus sis, Marce suauissime. Discessi a uobis omnino uolens, sed parum lætus atque (ut dici solet) lubens non lubens : quanquam porro ad eos ueni, qui me uotis quoque magnis expectabant. Multo tamen plus in iis erat quos reliqui ; inter eos sane principem tu cum Hieronymo locum tenes. Vnum me oblectat quod legatione fungor uel ociosissima ut nunquam alias ita totum me studia possederint. Valitudini tamen prospicio quantum non dico possum, sed quantum parentes amicique desijderant : plus enim et hoc quam possim. Noster ille Cyprius codices græcos tris domum ad me quod nosti misit : Oribasium, Galeni *Therapeuticem*. *In Aphorismos Annotamenta*. Tuli eos mecum ut perlectos, si minus emi possent, remitterem. Hæc ei quæso meo nomine nuncia, uti non amissos interceptósue, sed præcario concessos et ad tempus et commodatos intelligat. Vale : Paulum Valerium salutata mihi plusquam infinities. Diuino homini auo tuo et clarissimis parentibus me commenda. Mediolani Idibus Apr. MCCCCLXXXVIII.

77. *Georgio Vallæ.* Salue, Georgi humanissime. Antiquarium non hortabimur modo, sed etiam uellicabimus ut tibi respondeat. Gratissimum fuit intelligere quæ scripsisti, et iam iam semina quædam eius rei uideo. Me uero principes ij non solum humaniter exceptum liberalissime tractant, sed honoribus cumulant et magnis et frequentibus, ut qui maiores desyderat non nisi ambitiosissimus atque adeo uanissimus haberi debeat. Omnino Mediolani fuisse me pœnitebit nunquam. Vale, mi Georgi. De te cum tuis et cum non tuis ita loquor ut sentio, ita sentio ut melius sentire non possim. Sed longissimum de doctrina et uirtute tua cum Triultio sermonem habui. Merula in ædibus nostris habitat, sed ita ut extra ædes habitare uideatur, tanta est amplitudo domus. Vale iterum. Mediolani Idibus Apr. MCCCCLXXXVIII.

78. *Aristophilo Romano.* Salue Aristophile. Litteras tuas et Hermetis Trismegisti numeros uoluptate magna uidi. Munus stœchiomatici probè implesti utra lamina, tam minore, quæ quaternis uersibus includitur XXXIIII in singulos exculptis, quam maiore, quæ septenis per quadram columnulis inscribitur CLXXV continentibus, nisi me supputatio fefellit. Hos amare numeros Iouem et Venerem prædicant. Peritiam laudo (quid ni ?), quam C. Ptolemeus et ueteres astronomi probauerint : laudare tamen usum eius non ausim, quod multa scio in ea re non plus uerè quam subtiliter atque adeo superstitiose tradita. Alioquin quom in ambiguo sit utrum ea ratio pietati Christianæ congruat necne, prudentis uiri partes sunt tam diu abstinere quamdiu constet an liceat, ne, dum principibus commendari per imagines quærimus, offensionem potestatis maioris ineamus. Enim uero quanquam formas inferiores a cœlestibus formis affici conueniat, plus tamen hac uerecundia hoc honore hoc magni dei metu quam sculptis imaginibus fido. Vtcumque magni facio peritiam, usum differo. Gratias porro tibi tam multas ago et habeo, quam si et uti uellem et ex usu maiorem aliquem fructum caperem. Beniuolentia uero tanta mihi tecum futura semper est, quantam ne imagines quidem omnes conciliare possent. De puero bicipiti binis cordibus binis pulmonibus unico iocinore Patauij nuper edito gratissimum fuit audire quæ scripsisti. Legimus et picturam auidissime. Quod quidem monstrum maioribus hostiis expiandum arbitror, nisi forte iam expiatum quis putet noua tyranni cæde[1] : qui quom maiora cogitaret quam uno capite contineri possent, plus auderet quam unum cor sufficeret, spiritus maiores aleret quam unus pulmo superesset, geminata ea consecutus uidetur. Singulare uero iecur erat, quia nec tanto corpori seruire nec tot membris alimenta coquere, hoc est, nec tantas opes ferre nec tam lætis rebus diu superstes esse poterat. Non insulto functis fato ; fuit mihi et patri cum homine uel maxima coniunctio. Sed monstrum interpretor et fortunæ uires et uices extimo. Vale : Mediolani XII Cal. Mai. MCCCCLXXXVIII.

79. *Hieromymo Donato.* Saluus sis, Hieronyme. Acerbissimum Pauli Vendramini auunculi mei casum quamquam ita modice

[1] De Girolamo Riario dicit, qui illis diebus ex finestra in humum cecidit. Monstrum illud etiam in Malipieri Annalibus [*l. c.* p. 309] et in Petri Bembi *Ist. Ven.* pr. libr. notatur.

tuli..... ut philosopho quam ut Hermolao blandiar. Vale. Mediolani. MCCCCLXXXVIII.

80. *Antonio Caluo.* Salue, Antoni humanissime. Scripsi semel ad te..... habes quos consulas, ego Merulam. Vale. Mediolani. Idibus Mai. MCCCCLXXXVIII.

81[1]. *Petro Caræ.* Duxit uxorem clarus bello et pace uir Triultius Neapolitanam prænobili familia..... ne Pythagorici quidem servare potuissent. Vale. Mediolani Idibus Mai. MCCCCLXXXVIII.

82. *Hieronymo Donato.* Salue, mi Hieronyme. Quom ex litteris publicis cognossem decretum ad Cæsares legatum [2] nondum quidem lectum sed mox legendum, succlamaui protinus mandatum iri Hieronymo meo munus. Iudicium sequuta diuinatio. Id enim ex litteris priuatis, quas semper post publicas apperio, uerum esse comperi. Honorem hunc et tibi et mihi et patriæ nostræ gratulor. Magnus erat per se, sed competitorum dignitate factus est maior. Accedit punctorum quæ tulisti numerus. Eodem pertinet quod ne hæsit quidem ullus tibi. Non enim hærere puto, qui tam multis punctis retro distat. Sed iocor, alioquin licet hoc in lætitia. Cæterum obsecro te et pro mea fide moneo, ut quam potes ocyus hæreas uiæ, non quidem ita ut ille tibi hæsit non tam punctis quam moribus a te disiunctus, sed ut quanto maturius operem familiarem tuam licebit iter ingrediaris. Calores magni sunt cisalpes, ultra temperati. Hoc ipso tempore in Germanos et Belgas superioribus annis (ut nosti) penetrauimus septimo Calendas Quint.. Quo die Tridentum uenimus, desiit nobis æstas. Inde Gesoriacum usque magnis itineribus sine ullo teporis sensu profecti sumus [3]. Adde quod si maturè solueris, etiam mature ἀναλύσεις; Habent Latinis *soluere* pro digredi, non habent Græci λύειν contra illi ἀναλύειν dicunt, nos *resoluere* pro reuerti non dicimus. Vide quam ociosus sum qui tecum ista

[1] Manuscripta Vat. Cod. Lat. 4037 2° f. 232 inuenitur; excussa: *Epist. Cl. Vir.* p. 131; Politiani *Epist.*; Petri Caræ *Orationes* (Augusta Taurinorum MDXX) p. 84... Conuiuium nuptiale miris rarissimisque uerbis Hermolaus describit, quod illius ætatis uiris exquisitam uisumst redolere eruditionem. In codice nostro quædam inuenires uerba quæ (ut ita dicam) perierunt.

[2] De Hieronymi apud Maximilianum legatione uide Malipiero *l. c.* p. 310 supra.

[3] u. Ep. 64.

persequor et hoc tempore. Sed quid facerem? Incurrerunt, inhibere uolui, præsertim quom Ponticus adesset, qui, quom nunquam in pontum soluerit nec soluendo sit futurus unquam, uocabuli huius festiuitate gaudet. Omnino cura, non dico ut recedas sed ut redeas ocyssime: futurum enim uideo ut quemadmodum post me Cæsarem publico nomine primus salutabis in Germania uel Gallia, ita te Mediolani successorem habeam: id quod ego uotis omnibus exposco. Vale: IIII Calendas Quint. Ticini MCCCCLXXXVIII.

83. *Hieronymo Donato*. Saluus sis, Hieronyme. Quamquam digressum tuum differri nollem, ne incommodum utrunque sentias et eundo caloris et redeundo frigoris, nescio tamen quo pacto me delectat ciuitatis nostræ mos extrahendi res et omnia serius gerendi quam consulendi decernendique: id quod in omni libera ciuitate reprehenditur... [De musicis rebus græcisque et latinis iuxta chordarum nominibus disputatio]... Elegantius aliquid inueniatur. Vale. Mediolani. MCCCCLXXXVIII.

84. *Georgio M[erulæ]*[1]. Saluus sis, Georgi facundissime. Litteras ab... Scripsit Antiquarius de me omnino quæ amicus amico debet, sed quæ amicus ab amico desyderare nullo modo debet At quæ περὶ φθόνου scribis quanquam uera sunt... parum multos habet. Vale. Mediolani. Idibus Quint. MCCCCLXXXVIII.

85. *Scylacio suo s*. Philosophum te de uero et legitimo cathedrarium quoque factum esse gratulor, et, quanquam ea tibi dignitas et uirtutis tuæ merito et principiali beneficio contigerit, non tamen degratulor nec moleste fero in eam te opinionem uenisse, ut putes intercessionem et commendationem meam conciliasse tibi principes arctius fortasse quam fuerant. Si profui, profuisse gaudeo. Si non ipse profui sed alius, profuisse uolui et uoluisse gaudeo, quo respectu et tu mihi et ego tibi debeo. Gualterium spiritali mihi necessitudine coniunctum saluta decies centena milia salutationum. Vale. Mediolani XV Cal. Sext. MCCCCLXXXVIII.

86. *Andreæ Pontioni Genuensi*. Maiorem ex officiosa opera tua uoluptatem cepi quam ex libello. Deuinxit me sedulitas: hanc ego semper beneficii loco posui. Ergo nomen tibi ero parum quidem locuples, sed neque malum neque lentum simul

[1] Codex hic laceratus.

occasio aliqua compareat. Vale. Mediolani XV Cal. Sext. MCCCCLXXXVIII.

87. *Antiocho Cesenati.* Alexandri Græcus in *Meteora* liber apud me totus est, nihil oportet labores... calculis illudi solent. Vale. Mediolani XV. Calend. Sext. MCCCCLXXXVIII.

88. *Marco Dandulo.* Si pauca mihi tecum erunt, accusabis Hieronymum..... Sed heus tu, mi Marce, quando Hieronymus legatione Germanica distringitur nec quod sub digressum meum pollicitus est præstare potest maiore ui obstante, ueni tu ad nos, obsecro, et uicem eius et tuam solam imple... [De Marci uxoris puerperio recenti]... Genituram filioli diligenter expunctam supputatamque tibi mitto... haud temere umquam decerno. Vale. Mediolani. XIII Cal. Sext. MCCCCLXXXVIII.

89. *Hieronymo Donato.* Quom hæc scribo, Moguntiæ sum et me rideor tecum, Mediolanum hoc ipso quo discessi die reuersurus... Sed ne oblitos Moguntiæ nos putes, scito fanum hic haberi peruetus et suppelectili templaria ditissimum, sapphiri præcipue unius amplitudine excauato uase. Sunt et in suggestu templi litteræ barbaro tamen caractere Moguntiam Longobardici regni caput, si dijs placet, testantes. Quid multa ? Nihil est Moguntia nobilius, hoc detracto quod lactibus concidendis et obsonandis inhiant. Vale. ex Moguntia. XI Cal. Sext. MCCCCLXXXVIII.

90. *Bertutio Georgio.* Cremonam senatus iussu ueni, peregrinantes in regno suo principes secutus. Hospes mihi siue casu siue iudicio certo contigit Helisæus Rimundus tuus, homo (ut nosti) diuitiis et nobilitate gentis facile Cremonensium princeps. Accepit me non solum hilariter et hospitaliter, sed etiam atque etiam magnifice. Delectauerunt me in eo multa, sed illud potissimum, quod frequens in eius ore uersabaris ; nec sola nominis memoria contentus uestrum quoque gentilicium insigne non una ædium parte sed multis appinxit. Visum mihi est certiorem te huius rei facere, ut intelligeres eodem hospitalitatis iure cum eo me uinctum esse quo tu : æquum enim est ut qui tecum arctissima cognatione iungor, eosdem et hospites et amicos habeam. Blandissimo et inaffectatæ liberalitatis homini quanta maxima potui simplicitate gratias ingentes egi nomine et meo et tuo, ut iam pro explorato habeat, quicquid in te uel commodi uel officii contulerit, non seorsum et separatim erga te, sed coniunctim et comuniter in utrunque collatum fuisse. Iam confusa sunt nomina et

(quod certè uerius est) duos habet debendi reos pro uno. Vale Auiam tuam fœminam clarissimam, parentem optimum et Chronicum contubernalem uestrum facundissimum meis uerbis saluta. Ex Padana naui, media inter Cremonam et Prixillum nauigatione. Pridie Non Sext. MCCCCLXXXVIII Aurelius Ponticus et Didymus saluum te cupiunt.

91. *Hieronymo Donato*. Nauigatione inter Placentiam et Cremonam media litteras tuas Mediolano missas accepimus... [De rebus musicis ut supra ep. 83]... Admonuit me huius uerbi cœnæ temporis esse. Vale. Parmæ Non. Sext. MCCCCLXXXVIII.

92. *Hieronymo Donato*. Nolo silentium meum tecum redimere silentio, ut facere solent qui semel ab officio decesserunt, negligentiam alia negligentia operiunt et rusticitati rusticitatem adijciunt : quanquam excusare possum ineptissima et uanissima Pontici nostri studia, qui me nullam horam uacuum mentione fascinationum et haustuum et exorgismorum et incantationum relinquit. Ita nunc in eius ore nihil aliud quam uaticinia maleficia præstigiæ. Omne genus aruspicii extispicii ignispicii ærispicii tam probè tam memoriter tenet, quam non ipse Tiresias atque Chalcas. Quid quod inanispicium et uentispicium quoque finxit ? In quo mirum quam profecerit. Nam aquispicium Patauinus homo attingere nullo modo potest. Dæmonum porro nomina tam multa tam barbara tam horrenda edidicit, ut nihil aliud neque cupere neque scire uideatur. Modo annulos et sigilla commendat, modo se miratur in clauibus, modo prædicat angelicas nunc atras nunc candidas nunc luteas nunc ceruleas. Quid quod in fabulo totus est ? Accurritur ad eum meridiantem ex urbe tota, futuri de tabella de manu de fronte præ cognoscendi cupiditate. Si mentior, Hieronyme, insaniam ut Ponticus. Libros omnes omnino magicos qui usquam unquam fuerunt aut sunt, magno et impendio et labore conquisitos exscribi curauit. Plura non possum præ risu. Illa sane Dionysii Areopagitæ tui uerba quæ latina fieri desyderas : ἡνωμένως ἀσχέτως ἐξῃρημένως sic interpretor : *per unitatem, per absolutionem, per eminentiam.* Id enim quod ἀσχέτως in aliquo inest, hoc a nullo pendet, sed ei per absolutionem, id est absolute, quasi dicas independenter, inest. Vale : Mediolani XI Cal. Octob. MCCCCLXXXVIII.

93. *Anto*[*nio*] *Mulæ*. Litteras tuas et pietatis et officii plenas...

Gratissimo et integerrimo patri me totum trade. Mediolani XI Cal. Oct. MCCCCLXXXVIII.

94.[1] *Antonio Boldu*[2]. Vxorem tibi ductam ex honestissima familia... Nunc tecum et affinitati uincior quæ cum Maura genti nobis arctissima... quicquid tibi debeo. Vale. Mediolani XI. Cal. Octob. MCCCCLXXXVIII.

95. [*Domenico Mauroceno*]. Litteras tuas aureas et magno senatore dignas incredibili voluptate legi... Ambrosium *De Fratris obitu* ad te mitto. Habentur hic et *Exameron* et *De Officijs* et *Vita* eius a Paulino scripta. Venient et hæc ad te quam primum, si uelle te cognouero. Alia præsulis sui opuscula Mediolanenses impressa non habent, quod equidem rescire potuerim. Augustini quoque nulla comperi, præter ea quæ istic quoque ueneunt. Rimabor tamen et lustrabo diligenter omnia et omnes bibliopolia [sic] excutiam non solum urbana, sed etiam peregrina Ticinensium... in republica nostra uiro. Vale. Mediolani III Cal. Octob. MCCCCLXXXVIII.

96. *Domenico Mauroceno*. Quemadmodum fateor me parum... *Exameron* Ambrosii ex Basilio fere translatum (ut nosti) et *Vitam* eius a Paulino scriptam et librum *De Officijs* cœmptum ad te mittam quam primum se quis obtulerit, quoi tuto credi possint. Vale, uir innocentissime. Mediolani Idibus Octob. MCCCCLXXXVIII.

97. *Naldio*. Nihil mihi gratius est quam diligi... Quod autem me a Politiano in *Miscellaneis*[3] honorifice appellatum significas... immortalitate gaudeas. Vale. Mediolani XII Cal. Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

98[4]. [*Roberto*] *Saluiato*. Falleris Saluiate... Vale. Mediolani XII Cal. Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

99[5]. *Marsilio Ficino*. Qui adduci potest..... Illa mihi propria : corpus gracile, stomachus imbecillis, caput æstuans : quæ mihi

[1] V. *Epist. Cl. Vir.* p. 132 uerso, ubi excussa legitur.

[2] Qui anno 1497 legatus Venetorum ad Hispaniam iit. V. Malipiero pp. 465, 491.

[3] Cap. XC.

[4] Inter Pici, tum inter Politiani Epistolas lib. XII legitur ubi nomen Robertus præmittitur.

[5] Hæc epistola et in Laurentiana (Cod. c 27 r.) manu scripta legitur.

tempus omne a cibo detrahunt atque populantur, ut ad multas horas cessandum sit a litteris..... tribuas post deum. Vale. Mediolani X Calend. Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

100. *Bernardo Bembo doctori et equiti*. Bergomatem præturam summo tibi ciuitatis consensu demandatam..... nostræ litteræ comperiant. Vale. Mediolani pridie Idus Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

101. *Hieronymo Donato suo*. Frater erat, quidni doleas ? sed homo natus ut moreretur..... tu melius hæc intelligis. Vale. Mediolani Nonis Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

102[1]. *M. Antonio Sabellico*. Salue, mi Sabellice. Cum Iuuenale meo quæ me committere lingua — nosti quæ sequuntur. Ego uero adnotationes tuas nullo modo damnare possum nec, si possim, uolo: neutrum enim modestia et candore meo incolumi facerem. Subiratus porro sum τῷ λακωνίζοντι qui tam petulantem iocum aduersus te immo aduersus me confinxit. Non potuit tamen facere quin uiderem quod tantum tibi sollicitudinis iniecerit ineptissimum et tam parum uerisimile mendacium. At non respondi tunc ne, si (quod erat necesse) laudassem quia octo aut nouem errata comperisses in Plinij codicibus, mihi ipsi uiderer blandiri, qui duo milia et amplius loca in eodem autore deprauata lectioni pristinæ incorruptæque restitui : inter quæ sexcentis plura sunt, quæ in quattuor illis de Cosmographia libris certissimorum auctorum testimonio notauimus. Nolim arroganter dictum existimes aut callide : hæc ipsa quæ tibi deprehensa modo sunt, multo prius a nobis fuisse castigata : quoius rei testes (si hoc quæratur) habeo, quibus denunciare tuto possim. Vale. Nonis Nouemb. MCCCCLXXXVIII.

103. *Anto*[*nio*] *Bracello*. Commentarios patris tui *De Bello Hispaniensi* uoluptate tanta legimus[2]..... Petrum Lauredanum, qui patris mei maternus fuit auus, ita laudari uideo..... Sed de

[1] Vide *Epist. Cl. Vir.* p. 133 ; et Sabellici Opera, inter epistolas [ed. Basil. 1560 tom III, p. 343]. Iam anno 1487 Sabellicus in Plinium adnotationes ediderat. Hermolaus usque ad extremam suæ uitæ finem in hominem inuectus est. Vide [Zeno :] *Degli Istorici delle cose Veneziane i quali hanno scritto per publico decreto*, Venezia 1718, p. 48, 49. Inter Sabellici epistolas hæc omnes in re uersentur : (ed. Bas.) *p. 342* M. A. Hermolao, M. A. Bembo Tribuno ; *p. 343* M. A. Hermolao ; *p. 344* M. A. Carete, M. A. Bonifacio ; *p. 409* M. A. Palladio.

[2] I. e. Iacobi Bracelli *Lucubrationes De Bello Hispaniensi*, etc. Parisiis 1520. u. Zeno *Diss. Voss.* II, p. 266 ssq.

te alias. Vale. Mediolani XV Cal. Decemb. MCCCCLXXXVIII.

104. *Vgolino Verino ciui Florentino*. Saluus sis, Verrine. Fr. Gaddius homo non minus prudens quam doctus et amicitiarum conciliator et ferruminator optimus..... Filij porro tui grauem casum cum eo sæpe questus sum, non tua causa potius quam publica. Etenim si uera sunt quæ de illo prædicantur, ea fuit indoles in puero[1]..... Omnes omnino libros eius [sc Aristotelis] conuerto et commentarijs pro uirili mea illumino. *Logicen et Rhetoricos tris* et *Auscultationem Physicam* absoluimus, commentarijs in *Analyticos* tantum editis. Reliquia in diem caduntur. Non festinamus quidem..... nec arceri queunt. Vale. Mediolani X Cal. Dec. MCCCCLXXXVIII.

105. *F. Furnio Ianuensi* [sic]. Nec interrogas de salute nostra quenquam nec rescribis..... plusquam dominicas exerceo. Vale. Mediolani VI Cal. Decemb. MCCCCLXXXVIII.

106. *Meliauaccæ* [?] Scribis ne commentarios Alexandri tuos Ioachimo commodem, nisi suos contra prior ipse commodet. Ita planè faciam. Quamuis enim summum ius mihi semper in omnia tua fuerit futurùnque sit in posterum te uolente, nolo tamen ut aut tantum mihi libeat quantum licet, aut plus mihi liceat quam tibi libet præsertim æqua proponenti. *Therapeuticen* Galeni tam libenter ad te mitto, ut tu non maiore desyderio expectes. Ita et fides et amor in me tuus non dico postulant sed cogunt. Vale : Mediolani IIII Cal. Decemb. MCCCCLXXXVIII.

107[2] *Io. Pico Mirandulano*. Tu uero, Pice, adeo nihil mihi debes..... constituendæque ius habet. Vale. Mediolani. Cal. Ian. MCCCCLXXXVIII.

108[3]. *Politiano*. Vt ferramenta oleo sic amicitiæ officiis extersæ non contrahunt æruginem, contrahunt neglectæ : uerbum popularius quam uerius. Sortiuntur inclinationes et segmenta mundi terram, et alius cœli positus atque uultus diuersa rebus

[1] De cuius interitu multa ad patrem consolatoria in codice Florentino [Riccardiana 915 : 255] exstant.

[2] Inter Pici sicut inter Politiani epistolas (lib. XII) excussa, tum manuscripta Bibl. Vatic. Cod. Capp. 235, ff. 68-69 legitur. Apud omnes anno MCCCCLXXXVII obsignata, tamen MCCCCLXXXIX data esse ex eo patet quod in codice nostro mos Venetus obseruatur.

[3] Iter Politiani epistolas (lib. I) excussa; et manuscripta Bibl. Vat. Cod. Capp. 235 ff. 124-126 legitur. Vtroque loco illic incipit : Si surdis etiam brutisque rebus.

omnibus ingenia distribuit, ut surdis etiam brutisque..... compensatione redimunt. Vale. Mirandulam nostrum iubeo saluere : Mediolani VII. Cal. Febr. MCCCCLXXXVIII [1].

109. *Clari*mo *Laurentio Medices*. Nihil aut nouum aut alienum a consuetudine maiorum tuorum facis, Laurenti uir clarissime, quoties officiosus erga nos et beneficus esse cogitas. Quanta Francesco Barbaro auo meo cum illustri gente tua uel hospitalitatis uel amiciciæ iura fuerint, quid attinet dicere? quom tu præfacionem lucubrationis eius legeris, quæ ab ipso *De re uxoria* inscribitur et Laurentio Medices patruo maiori tuo dicata est. Filius certè tuus qui te patrem non tam ore quam sapientia et facundia expressum circunfert, quom me superioribus diebus nomine tuo uiseret, facilè indicauit quantum esset studium tuum et in seruandis alendisque auitis paternisque amicitiis et in me ornando ac tollendo, quoi propensione et inductione quadam animi priuatim affici te docuerit. Solatium in magno ære alieno creditoris æquitas et lenitas, qui nec angi quenquam nec traduci quantalibet in mora patitur. Tu uero (quæ tua benignitas et munificentia est) etiam nouas facis tabulas et uerecundiam lentorum nominum acceptilatione præuenis. Cæterum nihil proficis : tanto plus in dies rationibus tuis infers quanto plus remittis. Crescit enim abolitione gratia, quæ nihil aliud est quam beneficij memoria. Nec appellas tu quidem, sed pro te pudor et conscientia. Ego tibi, magne Laurenti, etiamsi nihil priuato nomine deberem, etiamsi non is homo esses quoius ingentes uirtutes et insignis rerum gestarum gloria nitescerent, illa tamen ratio uel sola satis esset ad demerendum et uinciendum me tibi, quod litteras earumque studiosos ubique semper et foueris et foueas, quodque liberis tuis non tam principem in urbe uostra locum (id quod etiam nolente te contingeret) quam bonas artes et præclara studia prouideas. Quorum hic ipse maximus natu Petrus, dij boni, tam tenera ætate quantum sapit! quam, nisi filius tuus esset, aut sperari aut credi nullo modo posset. Græce porro ita planè aut promptè loquitur adolescens nobilissimus et optimus, ut non tam Latinè professores multi sciant. Iam quæ prudentia in eo, qui rerum usus, quantum modestiæ! Minimè sum blandus natura, sed cogit res ipsa, cogunt omnium sententiæ. Nundum tamen audires hæc à me, nisi Ludouicus princeps experientissimus et ingenio-

[1] More Veneto.

rum æstimator sagacissimus de filio tuo magnificentius etiamnum sentiret quam ipse prædico. Sed finem faciam si hoc addidero : me florentissimis rebus tuis omnibus ita planè lætum esse quam si me contingerent ; amplitudinis dignitatis et gloriæ tuæ cupidissimum et studiosissimum semper futurum ; si quæ nobis aut ingenij aut doctrinæ uires sunt, eas tibi nullo tempore fortuna loco defuturas. Vale : Mediolani Idibus Febr. MCCCCLXXXVIII [1].

110. *Francesco Gaddio Florentino.* Diligentiam tuam in Dioscoride mittendo tam planè gratam habui quam non ipsum Dioscoridem, quo nihil gratius istinc uenire poterat. Opto ut intelligas (quod scio tamen exploratissimum tibi esse), nihil mihi antiquius unquam futurum quam quicquid pro te dixero fecero subiero. Cogitare nunquam desino quemadmodum non pigeat amoris et pietatis in Hermolaum tuæ. Librum propediem remissurus ad uos sum. Sed obsecro, mi Francisce, Laurentio Medices uiro magnificentissimo et optime de nobis merito gratias ingentes age meo nomine, nec quibus uerbis possum ipse sed quibus posse uelim. Omnino uires non sunt, ut re præstem quæcunque illi debeo ; sed siquis unquam ingenij profectus erit, sentiet homo amplissimus studium suum in me amando nec pœnitendum nec irritum fuisse. Vale : Mediolani MCCCCLXXXVIII [2].

111. *Hieronimo Donato.* Legationem tibi prius an fratri nuptias gratuler ? Nunquid utrunque simul tibi ? An nec tibi nec fratri, sed mihi ? O fortunatissima Mediolanensis legatio et omnibus numeris beata, quæ tamen, si parum auspicata lætaque fuisset, hoc uno quod successor mihi datus es non potest non fœlicissima fuisse..... Quid porro dicam de eo qui [3] tam magnis nominibus fidebat ? Quamquam nondum scio hæserit necne, ut solet. Sed obsecro rescribe qui oris habitus, prælegente candidatos scriba ; quam nominato te conuulsus ; quam repudiata eius calumnia prostratus ; qui uultus iusso cum cæteris competitoribus curia excedere ; qui æstus dum puncti numerantur ; quæ renunciato te constantia ; quam conficta prensandi te salutandi suauiandi festinatio ; quam παραλυτικῶς ὑποκρίνεται τὸν τῆς τεκούσης ἀδελφόν ; qui oculus in globo illo gratulantium et augentium te ; quam tristis, quam

[1] More Veneto.

[2] More Veneto.

[3] De quo agatur non constat.

nequam. Non insulto nec illudo, miseret; et opto ei quæcumque amicus amico. Sed non possum non lætari potiorem uirtuti quam ambitioni locum esse in republica. At missum faciamus hominem. Ad te redeo. Aurelius Ponticus et Didymus et familia mea tota, quid dicam de meis? principes et uniuersa ciuitas, Chalcus et Merula, docti iuxta indoctique desyderant ut uenias; quom aderis, intelliges optatissimum te fuisse. Ponticus certe noster præ læticia — expectas ut dicam cœnare non potuit ad nuncium: sed tantum cibi absumpsit, tantum uini hausit, ut nunquam euidentius et melancholicum et Patauinum hominem præbuerit. Vale: Mediolani MCCCCLXXXVIII [1]. VI Cal. Mart.

112. *Cottæ salutem.* Scribis te libenter audisse quæ nudius octauus in luxuriam conuicia fecissem, quæris autem ut quemadmodum meis ipse cupiditatibus occurram explicem. Duo remediorum genera quæ iis opponam habeo: alterum priusquam adoriantur, alterum ubi iam sunt adortæ. Primum formæ omnes ab ædibus meis exulant easque non aliter quam laruas atque lemures uicinia tota eijcio, ne ubi libido superuenerit, irritamentum præsens habeat et quasi commilitium uel auxiliares copias inueniat. Marcescit enim et ludificatur illa rabies solitudine offensa, ut uentorum aut hostium procellæ in arida planitiæ. Ita me antequam irrumpant affectus communio. At ubi iam irrumpant pretentantque presentes, tunc me protinus ac sine ulla tergiuersatione ad huiusmodi cogitationes et increpationes ui confero: Dabis, Hermolæ, tanto sceleri manus presente atque adeo teste deo? Perdes momento quam tam multis annis tanto negocio continentiæ laudem quæsisti? Facies hanc iniuriam parentibus, facies republicæ, facies amicis, ut tam benemeritas de te mentes opinione falli patiare? Nihil philosophiæ studia, nihil morum præcepta iuuerint? Litterarum et doctrinæ hoc decus, an alii causæ quam pudicitiæ modestiæ constantiæ refferas acceptum? Cogita quam tristis patrato statim scelere, quam tota uita miser, quam infensus ipse tibi præterea sis futurus; ingratissimus flagiciosissimus nequissimus turpissimus omnium sim bipedum atque adeo quadrupedum, si me contra tot perfidia blandiciæ peruicerint. Hæc mecum non sine iracundia et rubore mussito, interim tam fœliciter ut ad prima quoque uerba sim

[1] More Veneto. Mirum quod iam tum Hermolai successor fuerit electus.

uictor, interim paulo durius certamen, sed propulso tamen. Tu plura non desyderas. Vale : Mediolani MCCCCLXXXIX Calendis Mart

113. *Ia Troto.* Non sum ratus fore, ut ludicra res tam multa sibi prælia contraheret, sed respondendum tamen duco, Trote humanissime, non ut serio aut per stomachum à me quicquam agi putes, sed ut planè diu rideas. Ante omnia non nego dæmones aut esse aut in humana condi posse corpora ; nec illud item nego, Mutinensem istum, qui pœtas enarrare cœpit, aut dæmonem aut faunum uideri posse : uerum ut non pertinaciter resisto, ita nec temere assentiendum existimo. Probo autem grammatico Iuuenalis uersum interpretanti fidem paulo minorem adhiberi patior, sed auctoritatem eius cum dæmonis responso aut collidi aut propterea conuelli rideo. Ego Probi codicem exesum et ambustum æuo apud G. Vallam Venetijs profitentem legi. In eo quanquam non omnia præclare, multa tamen sunt quæ hominem satis facundum et diligentem fuisse comprobent aut certe multo peritiorem testentur quam uester iste (quisquis est) fatuellus fatidicus, oratione quoius nihil unquam legi horridius incultius ineptius. Is se non unum aliquem bonorum dæmonum è numero, sed tartarum atque sontium et tartareas sedes colentium palam fassus est, ut quam parum constat esse bonum dæmonem, tam planè constet non esse dæmonem. De *musco* autem pro *fruticis particula*, quod eum Græci *bryon* uocent quodque mentionem eius semel in Plinio haberi prædicent, tantum abest ut ignorem aut quasi nouum aliquem remotioris doctrinæ flosculum mirer, ut nihil sit apud me iactatius, nihil perinde apud omnes tritum... [de hoc longissima disputatio]... Quod autem me postremo insimulant, quasi dixerim hoc genus *musci* non pluribus quam ducentis abhinc annis in lucem prodisse, cauillatio mera est... etiamsi uetus esset odor, modo non Plinii uel' Neronis ætate fuerit, satis est ad uictoriam. Hæc habui quæ tecum, Trotte amantissime, non altercandi studio sed ludendi et feriandi gratia dissererem. Tu quæ tua est in me pietas, curabis ne qui dæmonis causam tuentur mihi barbaro successeant. Vale : Mediolani Idus Mart. MCCCCLXXXIX.

114. *Marco Dandulo.* Ber. Iustiniani [1] aui materni tui ea fuit

[1] Notissimus : u, Zeno *Diss. Voss.*, II, p. 154. Foscareni, *op. cit.*, p. 263. Voigt, *Die Wiederbelebung*, I, p. 419.

præstantia, ut mors eius, quamquam octogenarii ferè ac decrepiti senis, pernitiosa litteris acerba patriæ inmatura omnibus fuisse uideatur. Mihi sanè tanto dolori fuit quantum æstimare quisquam ægre possit, ut hoc me alioquin delectet, quod grauiter et impense doleo: uideor enim mihi esse aliquid hoc ipso, quod me tanti uiri casu uehementer angi et commoueri sentio. Vos autem, quos ille arctissima sanguis affinitate contingebat, non aliter solari possum quam quod eum amisistis, quem nemo non quæritur defunctum, nemo non desyderat, nemo non quantalibet mercede redimat. Aut parum solatii est talem ac tantum fuisse qui decessit ut locus desit solatio? Cæterum dissimulare nequeo stomachum meum; iniquo animo tuli, quod liberi eius laudari hominem in funere noluerint quodque ipsi ea quasi iusta defuisse uideantur, quæ Leonardus pater Carolo Zeno, quæ ipsemet Francisco Phoscharo cumulatissime persoluerat: quibus usqueadeo minor non fuit, ut, si eum Quinto Fabio P. Æmilio M. Catoni comparem, multo intra assentationem fecerim. Prætereo natalium splendorem: Leonardi patris facundissimi senatoris immortalem gloriam, Laurentii patrui relatam inter diuos memoriam: sunt hæc domestica omnino sed aliena. Illa sua et propria: quod fere quamdiu uixit principem in urbe sua locum tenuit; quod studia litterarum, in quibus a puero semper eminuit, non ad uitam umbratilem aut sibi nec intra domesticos parietes exercuit, sed reipublicæ commentarijs ab urbe condita perscriptis, legationibus ad principes Europæ maximis et difficillimis quibusque gestis, magistratibus urbanis et peregrinis omnibus sapienter et innocenter administratis, ut nemo iura populis prudentius aut castius aut æquabilius præbuerit. Per quinque porro et xx annos ferè nulli maior auctoritas in curia, nullius maior in sententia dicenda grauitas, ut, quouis ipse auctor fuisset, iam tum constaret multorum in eam pedibus itum iri. Quis propensa ciuitatis consilia facilius aliorsum uertebat? Quoius orationi fatigato disputationibus senatu recentius silentium accomodabatur? Erat ei sermo consyderatus et interpunctus, elegans, translatus, prouerbiorum luce nitidus, sententiarum et uerborum pondere quadratus solidus ac uirilis. Respondebat sermoni grauitas incessus atque uocis, os reuerendum et amabile. Ac omnes quidem partes egregie obibat, quæcunque in oratore magno desyderantur, sed duas prope diuinitus, si aut metum ciuibus excutere aut contra deter-

rere libuisset. Arbitratu suo alienas excitabat et ponebat iras, quodque multo mirius est, duobus potentissimis affectibus regendis, metu et audacia. Raro παθητικῶς, multos sæpius ἠθικῶς agebat. Præcipuum et illud habuit : quod de insinuatione consilio atque ductu, quæ sunt in oratore capitalia, nemo fere tam multa in artibus suis præcepit quam ipse in actionibus suis re præstitit. Fateor me plura in eo genere ab illo in senatu didicisse quam ex sescentis rhetorum uoluminibus in scholis. Prædicabat sapientissimus et nobilissimus senator nihil esse magis expetendum in omni quidem uitæ functione sed potissimum in dicendo scribendoque prudentia (quam Cicero fere diligentiam appellat) ; hanc natura proficisci, usu coalescere et ætate confirmari, nec aliter cumulatam absolutamque contingere. Infinita alia sapienter ab eo dicta et facta commemorarem, si huc non doloris ui sed ex composito uenissem. Nunc ea per transitum, non proposito nec in laudationis sed in conquestionis modum attigi, simul ut intelligeres ei, qui uirtutes hominis amplissimi persecutus fuisset in funere, nihil minus dubitandum fuisse quam ne oratio sibi atque uerba defuisse uiderentur. Scio quid mihi hac parte respondeas : testamento eum cauisse ne laudaretur, omnem funeris indictiui pompam summouisse interdixisse prohibuisse. Quasi non hoc ipso laudaudus esset, quod laudari se non est passus ! Audio et extremis tabulis iussisse ossa sua triuiali ac simplici tumulo componi prope sanctas patrui reliquias. Nunquid propterea laturi estis ut ossa tanti uiri sine marmoris honore, sine ulla eulogii testatione iaceant ? Obsecro, mi Marce, noli commitere ut, dum uerecundiæ morientis obsequeris, ingratus aut crudelis fuisse uidearis. Nihil hæc ad defunctos, præsertim eos quorum memoriam non saxa nec columnæ sed rerum gestarum et ingenii monumenta consecrant ; sed quæruntur ad uiuos, pertinent ad posteros. Scio auum tuum alterius sepulturæ solicitum fuisse ; non huius fragilis et corporeæ, sed spiritalis ac perpetuæ, ad quoius substructionem tria millia aureorum nummum eroganda pauperibus legasse. Vale : Mediolani Idibus Mart. MCCCCLXXXIX.

115. *Michæli Carariensi medico*[1]. Plus me accuso atque miror ipse quam tu, quemadmodum fieri potuerit ut tibi nundum responderim, in causa tamen fuere tum litteraria et publica negotia,

[1] V. Zeno *Dissert.* Voss. II p. 27.

tum ualitudo quoque parum prospera. Addo et tertium : commentarii tui usqueadeo laboriosi sunt atque uasti, ut perlegi nequierint, nedum ut æstimari à me potuerint, tu uero non simplicem epistolam sed iudicium meum quærebas. Si litteras solas petisses, ilico satisfactum fuisset : ego uero, ut sum unus omnium impigerrimus in respondendo, ita sum unus omnium tardissimus in iudicando præsertim aliena. Nunc accipe quid sentiam. Tria tantum in eo opere desydero, cætera uehementer et probo et laudo. Primum cuperem ut, quemadmodum multis, ita omnibus locis ornata esset oratio. Alterum non uideo magnopere quamobrem aliena medico multa sis complexus et quæ ad grammaticum potius et pœtarum interpretem pertineant. Tertium quod sine græcarum litterarum peritia, ut mihi sæpenumero dixisti, necesse tibi fuit errores aliquot incurrere. Enotassem eos si liber apud me diutius esse potuisset. Nisi te uehementer amarem et colerem nec toties apud me testatus fuisses, nunquam ausus essem integram animi mei sententiam exprimere. Tu boni consules ac me inter amicos tuos principem locum tenere patieris. Cislandum [?] saluta milies. Mediolani MCCCCLXXXIX Calend. April.

II

INTER POLITIANI EPISTOLAS QUÆ HERMOLAI BARBARI LEGUNTUR PRÆTER EAS QUARUM CODEX LUCCENSIS EXEMPLAR PRÆBEAT

In libro primo :

116[1]. *Angelo Politiano s. d.* Quod ex secundis rebus meis.... ingratus et barbarus esse uidear. Vale. Romæ. Pridie Kal. April. MCCCCLXXXXI.

In libro duodecimo :

117. *M. L. Phosphoro Episcopo Signino s.* Quod tu Octonariolos meos probes..... nec exploditur, nihil agis. Vale. Pridie Nonas Decemb.

118. *M. L. Phosphoro Episcopo Signino s. p. d.* Locum in Plinio de Cometis... sed edant habent. Vale.

[1] Dies in libro deest, in codice Vaticano epistolæ adscribitur (Cod. Capp. 235, f. 100).

119. *F. Piccolomineo Cardinali Senensi s.* Interrogatus Aristoteles quamobrem...... saccharum scribo, tu donas. Vale.

120. *Clarissimo Viro Antonio Caluo Patritio Veneto s. d.* Amantissimis literis tuis... Vale. XIII Cal. Ianuar. MCCCCLXXXXI. Nunc nunc literas..... commendat.

121. *eidem.* Quam tibi nouum fuit audire..... et sitire cœlestia. Vale. Romæ, octauo Idus April. MCCCCLXXXXI.

122. *eidem.* Antoni uir præstantissime, bono sis animo.... altercationibus uestris interesse. Vale Romæ. Idibus April- MCCCCLXXXXI.

123. *eidem.* Distinuit et distinet me..... tua esse uolo mea omnia. Romæ. XI Calend. August. MCCCCLXXXXI.

124 [1] *eidem.* Literas tuas quibus dolorem nostrum ex Zachariæ patris obitu..... ut pater amore prosequaris. Vale. Romæ. Idibus Decemb. MCCCCLXXXXII.

125. *M. L. Phosphoro Pontifici Signino s. d.* Putabam Signinam tantum uillam..... uel Signina certe pyra faciunt. Vale. VI Calend. Nouemb. MCCCCLXXXXII.

126 [2]. *Pico Mirandulæ suo S. P. D.* Saluus sis. Accepi litteras tuas...... si amici probauerint. Vale.

127 [3]. *Paulo Cortesio.* Periculosius est ista..... sed inter marinos. Vale.

128 [3]. *Ioanni Pico Mirandulæ s. d.* Hexameron tuum nudius tertius..... te speramus. Vale. Venetijs, Pridie Nonas Septemb. MCCCCLXXXIX [4].

129 [5]. *Ioanni Pico Mirandulæ s. d.* Salue humanissime Miran. dula. Ego uero de te..... breuem postulo. Vale cum Politiano meo. Romæ. Idibus August MCCCCXC.

[1] 120-124 in *Raccolta Correr* Religione e Morale Misc. XLV n. 2092 manuscriptæ inueniuntur. Ibi uero tutulus, quem in libro Politiani leges : *Hermolaus Barbarus Orator, patriarcha Aquileiensis*, epistolis non inscribitur, quare iniure Hermolaum quidam damnauerunt qui Patriarchatu spoliatus appellationem seruatus sit. Alioquin in excutiendis epistolis officinæ antistites auctores ita magnifice designauerunt, ut lectores sibi cum inlustribus uersari uiderentur.

[2] Plinianam Castigationem se suscepisse dicit, ex quo epistolam ex Roma anno 1490 exeunti siue 1491 ineunti datam esee apparet.

[3] Et Inter Pici Epistolas legitur. Epistola 128 porro Ms in Bibl. Vat. Cod. Capp. 235 ff 15-16 exstat.

[4] Liber MCCCCLXXXXIX exhibet.

[5] Et inter Pici Epistolas excussa et manuscripta Bibl. Vatic. Cod. Capp. 235 ff 99-101 legitur. Ep. 129 ibidem ff 34-35 partim descripta.

130[1]. *Ioanni Pico s. d.* Bene est bene conuenit..... et charitatis Fauonius. Vale. Romæ Pridie Cal. April. MCCCCLXXXXI.

131[2]. Ἰουστίνῳ τῷ Δεκαδύῳ εὖ πράττειν. Καὶ πολλὰ φιλῶν... Βαρβάρῳ χάριτες. Ἔρρωσο ιε τοῦ Ἰουλίου.

Iustino Decadio s. d. Et quod mirifice amas.

132. Ἀντωνίῳ Πυροπύλῳ ἐνδοξοτάτῳ ἰατρῷ καὶ φιλοσόφῳ εὖ πράττειν. Καὶ πολλῶν καὶ πολλάκις ἀκούειν... μὴ προσίεσθαι Ἔρρωσο. ἀπὸ Ἐνετιῶν γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου.

Antonio Pyropylo Medico Philosophoque Carissimo s. Et ex multis sæpe..... addictum non admittere. Vale. Venetijs octauo Idus Ian.

III

INTER PICI EPISTOLAS

Quæ Hermolai ferentur omnia in Politianeis existant, his exceptis

133. Salue. Accepi librum Pici de septem dierum.

134[3]. [*Pico*] Non me latet neque umquam, dum Patauij uitam degeres, latuit, Io. Pice Mirandula, quanta esset ingenij tui præstantia quantaque fuacnditas : quod tu cum pluribus rebus semper, tum uel maxime hac tua eruditissima in Mosen enarratione plenius indicasti..... Commenda plurimum. XII Kal. Octob. Venetijs 1489. Tuus tantus quantus est Sebastianus Priolus clarissimi Petri S. Marci Procuratoris filius.

IV

INTER FICINI EPISTOLAS LIBRO DECIMO

135. *Marsilio Ficino Platonico.* Ferus sim.... quam ipse nosti. Romæ, Kal. Sext. 1490.

V

IN BIBLIOTHECA VATICANA H. B. QUÆ LEGUNTUR EPISTOLÆ PRÆTER EAS QUARUM CODEX LUCCENSIS VEL LIBRI SPECIMEN PRÆBENT

136. Cod. Capp. 235, f. 47. *Saluiato suo salutem.* Gratis-

[1] Vide notam ad Ep. 129.
[2] V. Legrand, *Bibl. Hell.* I, CII ; II, CCCXXIII.
[3] M S. Vatic. Cod. Capp. 235 ff. 16, 17 exstat.

simas habui litteras tuas..... officiosus esse mihi uisus est. Vale. Venetijs Kal. Feb. MCCCCLXXXV.

137. Cod. Vat. Lat. 3424, f 1. *Iacobo Antiquario suo S.* Cum superioribus diebus incidisset in manus meas ipsius Perotti Cornucopia, illexit et omen et nomen ad legendum, præsertim qui Dioscoridem editurus essem paulo mox ; proindeque uniuersum percurrere nec ocium nec uoluntas fuit, uellicatim et saltuatim legere satis habui, intra quatriduum absolui, quatenus ad negocium meum spectabat. Errata ejus nonulla comperi, ea tecum ut communicem optem [1].

138. Cod. Vat. Lat. 4037, 2°, f. 233. [?] Noli, amice, Latinam linguam inopem et augustam queri..... uelut offam latrantibus obijcio. Vale.

139 [2]. Ibid. [?] Superioribus diebus Ticinum ueni simul iussu principum, simul more literarum, quod sciebam in ea ciuitate coli studia..... Illas mihi uices redde ut Lodouico principi sapientissimo gratias ingentes nomine meo agas. Qui me in ea urbe legationis officio fungi uoluit, a qua doctior quam accessi digrederer. Ingratus essem nisi et Anselmi Meiæ Mantuani nomen huic operi subscriberem : quo usus sum in eo genere non minus acuto quam amico uel interprete uel duce. Si hæc auspicia probaueris, sequantur alia; sin minus, incubitura sunt in spongiam. Vale. Mediolani Idibus Quintil. MCCCCLXXXVIII.

140 [3]. Cod. Capp. 235 f. 125. *M. L. Phosphoro episcopo Signino.* Misit ad me Alexander Cortesius homo utrique nostrum amicissimus... nunc demum intelligo quantum iacturæ fecerim quod te prius haud cognouerim, cum tanta mihi te coginto uoluptas arriserit. Nos ad Laurentium Medicem, qui nunc balneis dat operam, exemplum epistolæ tuæ mittemus, simul ut amorem (?) erga se tuum ex ea perpendat, simul ut nos ex tuo testimonio pluris aliquanto faciat quam fortasse facit: quamuis multo pluris etiam faciat quam digni ipsi nobis uidemur.

[1] De HB in Cornucopiam Perotti Animaduersionibus uide nostrum operum elenchum. Mediolani anno 1489 data esse uidetur epistola.

[2] Ab Hermolao aliena uidetur, sin minus, anno 1489 scriptast neque ex Mediolano sed ex Ticino, ut ipsa indicat. V. Ep. 82.

[3] Ex Roma Mense Maio 1490 epistola data est utipsa indicat.

141. Ibid. f. 99-101. *HB. orator Venetus patriarcha Aquileiensis Matteo Veronensi Canonico regulari S. D.* Nihil unquam et mihi æque perspicuum fuit... Virium mearum quanta sit exilitas nec ignoro nec ignorare me Deus salutis meæ patitur. Vale. Pridie Kal. Apr. MCCCCLXXXXI Romæ.

142[1]. Ibid. f. 101. *HB. [ut supra] Marsilio Ficino s. d.* Ignis est iste tuus perpetuus..... tam solidæ causa est. Vale. pridie Kal. Apr. MCCCCLXXXXI Romæ.

143. Ibid. f. 100-101. *HB. [ut supra] Lippo Brandolino S. D.* Quartus fere annus agitur ex quo primum ad me scripsisti et inuicem a me responsum tulisti..... summi iuris debetur. Vale. Romæ. Nonis Apr. MCCCCLXXXXI.

144[2]. Ibid. *HB. [ut supra] Vgolino Verrino s. d.* Quanti me facias..... Vale. Pœsim tuam ad umbilicum et pumicem peruenisse gaudeo. Romæ prid. Id. Apr. MCCCCLXXXXI.

145. Ibid., f. 126.[3] *Laurentio Medici.* Non de te nec de me sed de fortuna conqueror. Nam tuum hic nihil agnosco. Solet enim Laurentius stare promissis. Ego meis partibus sum perfunctus, qui et multis nominibus emerui fauorem tuum, et primus tibi rem significaui ac pro uirili effectum dedi. Sed hæc omnia irrita euentus reddidit, qui in manu fortunæ est ac stultorum magister dicitur. Me certe docuit nihil esse spem nisi uigilantis somnum. Nam spes quidem illa mea tuis totiens uerbis firmata, nostris totiens carminibus testata, repente fucum fecit. Sed quid agam? sine re uiuere didici, sine spe non didici. Itaque adhuc quidem spero. Neque enim fore puto ut, quæ per te maxime impetrare me decuit, ea in me per tuos impetrata cogar per te deponere. Quod si sic iam scilicet inueni, quomodo risus eludam quos de me populo dedi? Inscribam fronti: Laurentio credidi. Quis autem tibi non credatur? Ergo si mihi pendendum fuerit, hoc solatio utar quod pendebo ex trabe aurea. Vale.

[1] Ms. et in Bibl. Laurenziana Cod. 90, sup. c 24[t] inuenitur, autographa apud nos exstat.

[2] Ms. et in Bibl. Riccardiana Cod. 915, 255, p. 185 inuenitur, hac quidem inscriptione: *Hermolai Barbari sed ex Vgolino data;* nec non dies in fine deest.

[3] Non Hermolai esse uidetur, sin minus, de patriarchatu agitur et circa Nonas April 1491 ex Roma datast.

PITHIVIERS. — IMPRIMERIE L. GAUTHIER.